1472. aa. 4

MUSARUM ANGLICANARUM ANALECTA:

SIVE

Poëmatum quorundam melioris notæ, ſeu hactenus Ineditorum, ſeu ſparſim Editorum.

VOL. III.

OXON.

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO,
Impenſis *Ant. Peiſley* Bipliopol. MDCCXVII.

English Musick

Imprimatur,

JO. BARON

VICE-CAN. *OXON.*

Mar. 12. 1716.

PRÆFATIO.

EN *Tertium, Erudite Lector,* MUSARUM ANGLICANARUM *Volumen, pari Vocum Elegantiâ, & Rerum Utilitate, distinctum. Quod in manus hominum tradere* Clarendonianum *haud erubescat Typographeum, & cum Principibus Poëtarum,* Homero Virgilioque *accuratissimè editis, Immortalitati consecrare. Hic habeas, quod securus reponas iis qui credunt, Antiquis solis ad Parnassi Culmen patuisse aditum, nobis vero omninò fuisse intercluſum, & in celsissimo Montis assidentem Jugo, ad* Virgilii *latus,* Bathurstum, *spectes. Hic multa invenies, vel* Romanis *vel* Atticis *Musis dignissima, quibus evolvendis, non solùm commotior assurgas, sed & doctior, excultiorque fias.*

Romanis *enim Antiquis, tam Ingenii quam Imperii Magnitudine proximi assurgunt* Britones, *longo quidem intervallo, sed tamen proximi. Et quà universus patet Literatorum orbis,* Britannicæ *Musæ, quà Terrarum orbis,* Britannicæ *Laudes Victoriæque volitarunt.*

Anglicanæ *illum Fidicinem Lyræ,* Hannesium, *hic arduas Famæ semitas ingredientem suspicies, cujus Ingenii Vigor & Ubertas, cujus subacti Judicii præcox Maturitas juvenilibus etiam*

annis adeo inclaruerunt, ut haud miraberis posthac pleno numine almas illi Musas affuisse.

Quod ad nos attinet, de Literis bene mereri, de Arte Poëticâ præsertim, quæ rudes animos excolit, à rerum humilium amore deducit, & divinâ quâdam vi abreptos attollit nos altius iis, qui rerum humanarum studiis incumbunt, præclarum imprimis atque operæ pretium esse duximus. Nescio enim quâ suavitate, Numerosa Versuum Compositio aures animosque perfundit, vitia evellit, virtutes ingerit, ostenditque hanc Artem à Diis ipsis fluxisse, ut homines evehat ad Deos. Poësis quippe est Numerus, Numerus nihil aliud quam Ordo, Ordinis autem Principium, DEUS.

IN-

INDEX.

MUSÆ Pacis Alumnæ. *Joh. Campbell* fil. nat. max. Hon. D. *Clenarque* fil. Com. de Bredalbin, ex Æde Chr. *Pag.* 1.

Ormondus Imperator. *R. Levett*, è Col. Magd. Sup. Ord. Com. *p.* 5.

In Obitum Celsissimi & Desideratissimi Principis Gul. Ducis Gloceſt. *Hen. Aldrich*, S. T. P. Ædis Christi Decanus. *p.* 9.

Episcopus Privati Sigilli Custos, & Legatus. *Bad. Egerton* Baronet. fil. A. B. è Col. Æn. Nasi. *p.* 11.

In obitum Celsissimi & Desideratissimi Principis Gul. Ducis Gloceſt. *R. Vernon* Baronet. Coll. Om. An. Soc. *p.* 14.

Britonum Supplices Libelli. Recitârunt in Theatro *Jac. Bouverie*, *R. Lyddel*, Sup. Ord. Commens. & *Edv. Jones* ex Æde Chr. Com. *p.* 17.

In Obitum Celsiss. & Desider. Principis Gul. Duc. Gloc. *Joh. Friend*, A. B. Ædis Chr. Alumnus. *p.* 25.

Commercium ad Mare Australe. *Joh. Alleyn*, *Reynoldi Alleyn* de Barbadoes, Arm. fil. Col. Mag. Sup. Ord. Com. *p.* 28.

Academiæ Francofurtanæ ad Viadrum Encœnia. *Amos Meredith* & *Guil. Harvey*, Sup. Ord. Com. ex Æde Chr. *p.* 32.

Musæ Fœderatæ. *Guil. Glyn.* Baronetti fil. Omn. An. Socio-Commensalis. *p.* 36.

Academiæ Viadrinæ Encœnia Sæcularia. *p.* 39.

Imperium Pelagi. Recitârunt Hon. Dom. *Mich. Burke*, Hon. Dom. Bar. de Bophin, fil. nat. max. *Gul. Flower* & *Rob. Stratford*, Sup. Ord. Com. ex Æde Chr. *p.* 41.

In Obitum Cels. & Des. Principis Gul. Ducis Gloc. *Joh. Percivale*, è Coll. Magd. Baronettus. *p.* 47.

INDEX.

Solennis proceſſus ad Ædem D. Pauli. *Tho. Bromley*, Arm. Sereniſſ. Reg. à privatis Conſiliis,& Hon. Dom. Com. Oratoris fil. nat. max. Ædis Chr. Alumnus. *p.* 50.

In Obitum Sereniſſ. Reginæ Annæ, & Auguſtiſſ. Regis Georgii Inaugurationem. *Geo.* Ep. Briſt. Eccleſ. Chriſti Decanus, Sereniſſ. Regi ab Eleemoſynis. *p.* 54.

Senatus Britannicus. *Ed. Liſle*, è Coll. Magd. Sup. Ord: Com. *p.* 57.

In Obitum Sereniſſ. Annæ Reg. & Auguſtiſſ. Reg. Georgii Inaugurationem. *J. Trapp*, A. M. Coll. Wadh. Soc. Poëtices Prælector Publicus. *p.* 62.

Preli Academici Immunitas. Recitârunt in Theatro *Hen. Dawney* Hon. Dom. Vice-Com. de Down, fil. nat. minor, ad Menſam Drum Com. *Jac. Hamilton*, Arm. fil. Sup. Ord. Com. ex Æde Chr. *p.* 66.

In Obitum Sereniſſimæ Reginæ Annæ, & Auguſtiſſimi Regis Georgii Inaugurationem. *Digby Cotes*, A. M. Coll. Om. An. Soc. & Univerſ. Orator Publicus. *p.* 74.

Regina ad Divi Pauli. *Triſt. Conyers*, Arm. fil. è Coll. Mert. Gen. Com. *p.* 77.

In Obitum Sereniſſ. Annæ Reg. & Auguſtiſſ. Regis Georgii Inaugurationem. *R. Lyddell*, ex Æde Chr. Sup. Ord. Com. *p.* 80.

Regnum Galliæ à Philippo Renunciatum. *Tho. Archer*, è Coll. Trin. Sup. Ord. Com. *p.* 83.

In Obitum Clariſſ. Viri Joh. Radcliffe, M. D. *Tho. Machen Fiddes*, A. M. è Coll. Reg. *p* 86.

Novarum Rerum Scriptores cum Bello conticentes. Recitârunt in Theatro, *Tho Joyner*, & *Chr. Joyner*, è Coll. Trin. Sup. Ord. Com. *p.* 90.

In Obitum Sereniſſ. Reginæ Annæ, & Auguſtiſſ. Regis Georgii Inaugurationem. *Ed. Bertie*, Hon *Jac. Bertie* fil. nat. ſec. ex Æde Chr. Com. *p.* 95.

Dunquerca Delenda. *Car. Shuckburgh*, Baronet. fil. è Coll. Reg. Sup. Ord. Com. *p.* 98.

In Obitum Clariſſ. viri Jo. Radcliffe, M. D. *S. Douglas*, A. M. Coll. Om. An. Soc. *p.* 101.

In eundem *Noel Broxholme*, A. M. Ædis Chr. Alumnus. *p* 104.

In Obitum Sereniſſ. Reginæ Annæ, & Auguſtiſſ. Regis Georgii

Georgii Inaugurationem, *Guil. Le Hunt*, A.B. ex Æde Chr. *p.* 107.
Res Germana Reſtituta. Recitârunt in Theatro Hon. Dom. Dom. *Car. Somerſet* Illuſtriſſ. Duc. de *Beaufort* Frater, *Kingſmill Mackworth*, Equitis Aur. Fil. *Jo. Rayner*, Arm. fil. ex Æde Chriſti. *p.* 110.
In Obitum Sereniſſ. Reginæ Annæ, & Auguſtiſſ. Regis Georgii Inaugurationem. *Guil. Lawſon* Baronet. è Coll. Reg. *p.* 117.
In Exoptatum Regis Gul. ex Hibernia Reditum. *Ric. Parker* è Coll. Mert. *p.* 119
In Obitum Clar. Viri *Jo. Radcliffe*, M. D. *Edv. Talbot*, Coll. Oriel Soc. Reverendi admodum Epiſc. Sarisb. Fil. *p.* 123.
In exoptatum Regis Gul. ex Hibernia Reditum. *Edm. Smith*, Ædis Chr. Alumnus. *p.* 125.
In Reditum Regis Gul. poſt Pacem & Libertatem Europæ feliciter reſtitutam, An. 1698. Ode. *B. Wyllys*, A. B. Coll. Reg. Cantab. Soc. *p.* 129.
In Obitum Auguſtiſſ. Principis Henriettæ Mariæ Reginæ Matris. *R. South*, S. T. P. Acad. Orat. Pub. *p.* 133.
In Obitum Celſiſſ. & Deſideratiſſ. Principis Gul. Ducis Gloceſt. *R. Frewin*, Ædis Chr. Alnmn. *p.* 135.
Thameſis Vinctus, ſive de Hyemis Inclementia, An. 1675. *Geo. Clarke*, Equitis Aur. Fil. è Coll. Æn. Naſ. *p.* 137.
Ormondus præſens in Acad. Oxon. 1677. Ode. *Gul. Kingſmil*, Arm. ex Æde Chr. *p.* 142.
In Cometam Apparentem, An. 1678. *Jo. Percival* Baronetti Fil. ex Æde Chr. *p.* 147.
Votum pro Pace, An. 1677. *Sim. Harcourt*, Baronet. fil. è Coll. Pemb. *p.* 152.
In mortem Edvardi King, una cum Navigio ab aquis abſorpti. *Coke*. *p.* 157.
Templum Academicum Inſtauratum. *Gul. Fox*, Equitis Aurati fil. è Coll. Magd. *p.* 165.
In Exoptatiſſ. Sereniſſ. Reginæ Annæ Inaugurat. *Per. Foulkes*, A. M. Ædis Chr. Alum. *p.* 165.
In Obitum Celſiſſ. Principis Geo. Princ. Daniæ. Ad Reginam. *Edv. Harley*, ex Æde Chr. Sup. Ord. Com.

Com. p. 168.
In Exoptatiſſ. Annæ Reginæ Inaugur. *Tho. Biſſe*, A. M. è C.C.C. p. 177.
Clades Hocſtadienſis. *Hen. Hedges*, Hon. *Car. Hedges*, Equitis Aurati, & Reginæ à Secretis, Fil. nat. max. & Coll. Magd. Sup. Ord. Com. p. 175.
Ormondus tertiò Hyberniæ Pro-Rex, Ann. 1677. *Car. Pindar* Baronetti Fil. è Coll. Æn. Naſ. p. 178.
In Obitum Celſiſſ. Principis Geo. Princ. Daniæ. *Ant. Alſop*, S. T. B. Ædis Chr. Alumn. p. 184.
In Obitum Auguſtiſſ. & Deſideratiſſ. Regis Caroli II. Thameſis & Iſis fluentes. *Geo. Smaldridge* ex Æde Chriſti. p. 187.
In Obitnm Auguſtiſſ. & Deſ. Regis Car. II. *Ed. Hannes* ex Æde Chr. p. 192.
Omnia Vanitas. p. 195.
Honoratiſſ. Viro Hen. Saint-John Armigero. Ode. *J. Phillips*, ex Æde Chr. p 201.
Atrium Peckwaterienſe. *Guil. Le Hunt*, ex Æde Chriſti. p. 204.
In Obitum Celſiſſ. Principis Geo. Princ. Daniæ. *R. Frewin*, M. B. Ædis Chr. Alum. Chymiæ Prof. p. 208.
In Obitum Sereniſſ. Reginæ Annæ, & Auguſtiſſ. Regis Georgii Inaugurationem. *Ar. Charlet*, S. T. P. Coll. Univ. Magiſter. p. 210.
In Obitum Celſiſſ. Principis Geo. Princ. Daniæ. *Digby Cotes*, A. B. Coll. Om. An. Soc. p. 213.
In Obitum Deſideratiſſ. Reginæ Mariæ. *Pet. Foulkes*, Ædis Chr. Alumnus. p. 216.
Cambro-Britannus. *Joh. Groſvenour*, Arm. Fil. è Coll. Æn. Naſ. p. 220.
Anglo-Saxo, ſive in Laudes Linguæ Saxonicæ. *Wright Croke*, Setvientis ad Legem Fil. è Coll. Lincoln. p. 225.
Regina ad Thermas Bathonienſes. *Ferd. Tracey*, Jo. Vice-Comitis Rachutenſis Fil. è Coll. Reg. p. 231.
In Obitum Auguſtiſſ. & Deſideratiſſ. Reginæ Mariæ. Carmen Paſtorale. *Edm. Chiſhull*, A. M. C. C. C. Diſcip. p. 234.
Imperium Pelagi prolatum. *Tho. Powys*, Equ. Aur. Fil. Nat.

INDEX.

Nat. Max. ex Æde Chr. Sup. Ord. Commenſ. *p.*238.
Calpe Expugnata. *Guil. Osbaldeſton* Baronettus, è Coll. Magd. *p.* 242.
Strenæ Oxonienſes. Ad Reginam. *Herb. Mackworth*, *Humf. Mackworth* Eq. Aur. Fil. Nat. Max. è Coll. Magd. Sup. Ord. Com. *p.* 245.
Bavarus Profugus. *Rich. Dawes*, Arm. Fil. *Guil. Bucknall* Eq. Aurat. Fil. Unic. *Guil. Seys* Arm. Fil. è Coll. Wadh. Sup. Ord. Commenſ. *p.* 248.
Fœdus Luſitanicum. *Car. Osborn* Baronetti Fil. è Coll. Univerſ. *p.* 255.
Rookus Invidiâ Major. Hon. *Franc. Pawlet* March. Wint. Nepos, è Coll. Æn. Naſ. *p.* 258.
Landaua Recepta. *Guil. Wardour*, è Coll. Reg. Sup. Ord. Com. *p.* 260.
Mercurius Pariſienſis. *Reginaldus Hawes* Armig. Fil. Coll. Exon. Commenſ. *p.* 263.
Vota Academiæ. *Car. Dominique*, è Coll. Di. Jo. Bapt. Gen. Com. *p.* 267.
Regina Oxonium Inviſens. *Joh. Lawrence*, Coll. Magd. Arm. Sup. Ord. Commenſ. *p.* 270.
Ormondus Triumphans. *Sim. Harcourt*, Eq. Aurat. Fil. ex Æde Chr. Sup. Ord. Commenſ. *p.* 274.
Vigo. *Rob. Keck*, è Coll. Un. Gen. Com. *p* 278.
Claſſis Anglicana. *Humph. Fowle* Arm. è Coll. Univerſ. Gen. Com. *p.* 281.
Fœdus Triumphale. *Benj. Rudge*, Novi Coll. Socio-Com. *p.* 283.
Impotens Galliæ Ambitio. *Joh. Baber*, Arm. Fil; è Coll. Exon. Sup. Ord. Comm. *p.* 288.
In Obitum Celſiſſimi Principis Geo. Principis Daniæ. Hon. Dom. *Joh. Carteret* Baro de Hawmes ex Æde Chr. *p.* 290
Exercitus Exauctoratus. *Car. Trelawney*, Rev. admodum in Chriſto Patris Ep. Wint. Fil. Nat. Minor, ex Æde Chr. *p.* 293.
In Obitum Illuſtriſſ. Principis Ducis Gloceſt. *R. Clutton*, Coll. Weſt. Alumn. Reg. *p.* 296.
Umbra Defuncti Ducis Gloceſt. alloquitur Matrem. *p.* 298.

Carolus

INDEX.

Carolus Tertius Hoſpes. *Rich. Chichley*, A. B. Eq. Aur. Fil. Coll. Omn. An. Soc. *p.* 300.
Muſarum Oblatio ad Reginam. *Hen.* Baro de Colerraine, è C.C.C. *p.* 303.
In Obitum Illuſtriſſimi Principis Gul. Ducis Gloceſtrenſis. *Digby Cotes*, ex Aula Mag. Com. *p.* 305.
Academia Viadrina. *Tho. Burnet*, Rev. admodum Ep. Sarisb. Fil. è Coll. Mert. *p.* 308.
Carmen in honorem Viri Celeberrimi & Principis Poëtarum Dom. Dr^is^ Gibbeſii, cum Diploma à Cæſarea Majeſtate ſibi ex merito conceſſum, Æternitati in Muſarum Templo Oxonii conſecraret *R. Bathurſt*, M. D. Coll. Trin. Præſ.

MU-

MUSÆ ANGLICANÆ.

Musæ Pacis Alumnæ.

O! Si canoræ Diva sciens lyræ
Ardore pectus concitet entheo;
Quali sub *Etrusco* reclinis
Incaluit bene *Flaccus* antro.
Cum *Janus* olim templa *Quiritibus*
Clausit jubenti *Cæsare*; cum Furor
Recessit intro, ferreisque
Compedibus fremuit revinctus:
Tum *Roma* centum fertilis Artium
Septena vidit per juga Cantibus
Certare Vates, & jotosis
Tybrin aquis resonare Carmen.

Hic *Naſo* curas ludit Amantium;
Hic *Pollionis* Muſa Tragœdiam in-
ducit cothurno; *Virgilî*que
Surgit Epos *Jovis* aure dignum.
O fauſta Tellus, cui Genii ſacros
Indulſit Ignes *Phœbus* amicior!
O ſcripta Vatum, quæ nepotes
In memores retulere claſſes!
Sed nec *Britannis* flectit equos Pater
Averſus Oris, nec gelido rigent
Torpore Venæ, non ſub *Arcto*
Ceſſat Ebur, neque Veſtra quondam
Vocale Plectrum deſtituit Manus
Thymbræa Proles, quos generoſior
Accendit Æſtus, quos benigna
Caſtalius lavat *Iſis* unda.
Suſpenſa longum ſumite Barbita,
Aptate Nervos; En! niveis redit
Pax Alma bigis, & reverſam,
Veſtra cohors, comitantur Artes.
Quis *Ille* primus *Pieridum* Labor
Mitra refulgens? En! venerabiles
Agnoſco Crines, En! ſereni
Ora *Patris*, placidoſque Vultus!
Quas *Ille* terras plus vice ſimplici
Luſtravit Hoſpes? dicite Virgines

Per

Per celsa *Parnassi*, Infulamque
Cingite *Palladia* Corolla.
Nec *Tu* tacendus, qui *Themidem* Arbiter
Disponis æqua lance, Clientium
Tutela præsens, O fidele
Pectus, & Eloquio Tribunal
Mulcere pollens Lingua! perennia
Seu dissecabis Jurgia Civium,
Sive Ausa *Gracchorum* retundes
Non sine Diis animosus Ultor.
Vestris, *Camœnæ*, fontibus & choris
Amicus, ingens Materies Lyræ
Harlæus astat, non cruentæ
Laudis egens, Animæve magnæ
Parcus; nefandi quot scelerum Doli
Heroa cingunt? quot Latus obsident
Acuta Lethi? quæ *Britanno*
Sollicitant super Orbe Curæ?
Illo Auspicante, expansa fidelibus
Committit *Euris* Carbasa, & ultimos
Invisit *Indos*, certus Auri
Navita, nec metuens Pericli.
Ille Institutis *Socraticis* madens
Volvit capaci sæcula pectore;
Illum nec orto sole Pecten,
Nec fugiente die, sileret.

Ni deſtinantem talia Barbiton
Rite avocaret *Caſtalidum* Pater
ORMONDUS, & geſtires omnis
Muſa ſuo comes ire *Phœbo*.
ORMONDE, Muſis Nomen amabile!
ORMONDE, charum Militibus Caput!
Te docta Pubes, *Te* ſonabunt
Sheldonii Spatia ampla Tecti.
Ducente *Te* per Caſtra, per Æquora
Sequemur ultro; ſeu ruis impiger
In Bella, ſeu juſſus recedis
Obſequio potiore Palmis.
Stipata tali Nobilium agmine
Ponit *Britannis* Jura volentibus
REGINA, & immunes Duelli
Concilio regit æqua Gentes.
Sic Orbe tandem compoſito, *Hercules*
Attollit alte cœliferum Caput,
Nixus Columnis, quas locarat
Clara ſuæ Monumenta Dextræ.

Johannes Campbell, fil. nat. max. Hon^mi D. Clenarque, fil. Com. de Bredalbin, ex Æde Chriſti, ad menſam D^rum Commenſalis.

ORMONDUS

ORMONDUS Imperator.

JAM jam mœsta diu Bellorum *Europa* Ruinas
Fleverat, & lassata, & fractis viribus ægra,
Acclinis *Britonum* sceptro langueſcere cœpit:
Cum placidam *Pacem* quæ causa arcana moretur
Inquirens ANNA, & socii Mysteria Belli
Evolvens, propere ORMONDUM, jam Sceptra tenentem
Patria, & intentum vexatæ nuper *Iernes*
Motibus, acciri jussit: dein talia fatur.
Non decet, O ORMONDE, decenni Marte *Britannos*
Cunctari. Quis finis erit? Redit actus in Orbem
Vincendi æternus Labor, & revolubile Bellum
Usque novum est. Quoties cadet Annus, atque resurget
Perpetuus *Lodoix*? Pudet his succeſſibus uti
Innumeris; tædetque eheu! Superare Quotannis.
I *Tu*, Vince Semel. — Magnum imperterritus audit
Imperium ORMONDUS, solitumque in Pectore Martem
Concipit: & lætus Mandata faceſſere, jussum
Urget Opus velox, lethalemque Hostibus Ictum
Intentat, cogitque novo furere impete Bellum.
Malburium interea celsa de sede moveri,
Turbarique una *Britonas*, *Borbonius* aure
Accipiens avida, subriſit. Spemque recepit

Mente brevem: at ſubito rurſus cecidere ſereni
Vultus, ambigua intercluſit Gaudia Nomen
ORMONDI: atque optat Vexilla priora reponi.
Tum ſecum; dudum oh! luſtravi *Gallica* Caſtra,
Exquirens, ſi Quem tulerint mea Regna *Britanno*
Malburio ſimilem: dixi nempe Omnibus Unum
Plus valuiſſe Virum: ſolum Hunc ſtraviſſe, Triumphum
Duxiſſem; temere Vincendi certus, adempto
Malburio. At quo nunc ceſſerunt irrita Vota?
Quid ſi *Malburius* cecidit? Felicior ANNA
Repperit ORMONDUM. Quid jam contendimus ultra?
Vix ea queſtus erat, cum Ramum infantis Olivæ,
Tum fauſte annoſo ſurgentem ſtipite, dextra
Languenti carpſit, tremuloque hæc addidit ore.
Aumonti, ex Procerum illuſtri Lectiſſime turba,
Digne Meas geſtare vices, hanc accipe tandem
Paciferam Virgam, & celeres mea dicta per undas
REGINÆ *Britonum* præfer: nunc *Illius* eſſe
Agnoſco, ſtabilire æquato examine motas
Europæ Lances, & juſtas figere Regum
Imperio Metas. *Lodoix*, tot viribus impar,
Quam dare conſuevit, *Pacem* rogat: -- At rogat ANNAM.
Aſpera tum primum cœpit miteſcere Tellus,
Et longum optatæ ſenſit Confinia *Pacis*.
Non tamen ORMONDO interea vacat; inclyta Bello
Fertur ad Arva, Suoque rubentes ſanguine Campos

Rurſus

Rurſus adit lætus. Tamen omnes pectore Flammas
Non ſinit efflagrare; ſed æſtuat intus, & ægre
Corde premit Martem: ſuſpenſaque promptus ad Arma,
Dat *Pacem* monſtrato Enſe. Ac velut Arbiter æqui,
Hoſtibus incertis, dubiiſque accinctus Amicis,
Stat medius; ſoluſque Acies utraſque coercet,
Perque vices terret. Ne qua ſit *Gallia* fallax;
Aut fureret *Batavus*; *Britonumve* ſit immemor *Iſter*.
Dumque moræ impatiens Heros, ſic vindice dextra
Impellit *Pacem*, & *Gandavi* è mœnibus altis,
Quod velit ANNA, jubet; cunctæ lætæ undique Gentes
Mirantur placidum Fervorem, immobile Pectus,
Intactamque Fidem; & dubiam plerique ſuſurrant
Malburii Famam: ſubitoque coercet avaras
Moſa undas, metuitque nimis turgeſcere *Rhenus*.
Fruſtra ipſi rurſus *Lodoici* prælia ſuaſit
Ambitio; ORMONDUM vidit, timiduſque receſſit
Obluctante animo; Quamvis dilecta ſuperbæ
Mœnia *Dunquercæ*, & non expugnabile Clauſtrum,
Deleri doluit: Quamvis ploravit *Iberos*
Diſjunctos, & Sceptrorum Connubia rupta;
Nil moliri auſit, *Britonem*, Gladiumque minacem
Semirecluſum horrens. Quem non *Blenheimea* Cædes,
Non Furor *Eugenii*, aut *Malburî* cautior Ardor,
Non Anni domuere decem; Vis prima ſubegit
ORMONDI, & juſſæ docuit ſuccumbere *Paci*.

Haud secus adversi Boreæ Vis Pluribus Annis
Sublimem vexat Quercum; divulsa subinde
Membra jacent, nitnioque cadunt præ pondere rami;
Illa stat invicta, & redeunti vere virescit:
Sin tandem ignitum Fulmen magni Arbiter Orbis
Præcipiti dextra jaculetur; Fissile Robur
Procidit, atque ruens rapido discinditur Ictu.

Rich. Levett è Coll. Mag.
Sup. Ord. Commensalis.

In

In Obitum Celsissimi & desideratissimi Principis GULIELMI Ducis Gloceſtriæ.

AOnii mærens ponat monumenta doloris
Et lugubre Duci det Rhedycina melos:
Multa fuit Rhedycina atavorum in funere Regum;
Et merito inſeruit nomina chara Polo.
Illa dedit CAROLO non aſpernabile carmen,
Et tumulum ornavit Diva MARIA tuum.
Et Tu, ſancta *Ædes*, Regum fidiſſima nutrix,
Quæ longo Heroum ſtemmate clara nites,
Aonidum dilecta comes, cui Diva potentes
Et nutrire viros, & celebrare dedit;
Deprome ingenii vires, atque adde ſepulchro
Quæ vivo malles carmina ferre Duci.
Dic age, ut Annales verſaverit; inde labores
Cæſaris evolvens, hinc GULIELME Tuos:
Ut ſtetit exiguis Heros bullatus in armis;
Ut Pygmæa tulit ludicra ſigna Phalanx:
Utque Tuum ORMONDUM virtus incendit avita
Nunc formare Ducem, nunc & in arma ſequi.

Dic quos Religio præſenſit pura triumphos,
Ut poſito exeruit Diva timore caput;
Ut nec Roma ſuas Thameſino jungeret undas,
Nec putrem inferret fæda Geneva lacum.
Hinc ſpes pinge Tuas, ſi fors hæc tecta ſubîſſet,
Unica Cæſarei cura, decuſque chori.
Ultima reſtat adhuc, ſed & hæc triſtiſſima ſcena;
Pinge piæ luctus gentis, & inde Tuos.
At non ſperabis maternum æquare dolorem,
Vincit inæquales flebilis ANNA modos.
Quin Tu mœſta Parens, veſanas excute curas;
Jam meliora favens omina ſpondet Amor.
Tu ventura fove genialis pignora lecti,
Succedatque orbis digna propago toris.
Mulceat infauſtam ſimilis Glovernius ANNAM;
Naſſovio, vibret non minor Arma Nepos.
Sic Puer ambobus placeat bonus, ut ſibi prolem
Nec velit Ille dari; nec gemat Illa rapi.

Henr. Aldrich S. T. P.
Ædis Chriſti Decanus.

Epiſcopus

Epiſcopus Privati Sigilli Cuſtos & Legatus.

MItræ grande Decus, Spes O! Fidiſſima regni,
Te noſtræ, Præſul, merito pars Maxima Pompæ,
Fert animus celebrare; Tuis hic omnia plena
Muneribus; Tibi votivos *Parnaſſia* pubes
Ingeminat plauſus, pacataque tempora circum
Inter *Palladias* Hederam Tibi nectit Olivas.
Quæ tamen, audaci numerorum pondere ſurgens,
Muſa ferat Carmen venerando Præſule dignum?
Quis fidas recolat pollenti Pectine Curas,
Conſiliumque ſagax rerum, mentiſque labores;
Cum Te per *Scythiæ* glacies, immitia regna,
Per loca *Riphæis* nunquam viduata pruinis,
Traxit Amor Patriæ, *Paciſque* immenſa Cupido?
En! Tibi pacato decurrit *Viſtula* rivo,
Et placidis fluit *Elbis* aquis; Te *Caſpia* tellus,
Te *Cimbri*, genus acre, colunt, atque, aſpera corda,
Submittunt faciles, coeuntque in fœdera, *Sueci*.
Talis eras, talem finxere ad Grandia mentem
Experiens uſu Labor, & Prudentia Regum
Apta Miniſteriis, magniſque exercita curis.

Hinc varias edoctum Artes, atque ardua rerum
Pendentem Momenta, avidis Te Patria votis
Suspirat, Te Diva suis misçerier ANNA
Optat consiliis; Tibi Molem & Pondera Regni
Committit, Fasçesque Sacros; Tibi cura *Sigilli*
Et Mitræ, geminatus Honos, Insignia cedunt.
Turba diu Superis inimica, odiisque Sacrorum
Aspera, Civili Officio, rebusque gerendis
Invidit, Mystamque suas detrusit ad aras.
Tu Decus antiquum, & Genti desueta Togatæ
Asseris Imperia; en! victis se oppressa tenebris
Relligio, penetrans Aulas, & Limina Regum,
Erigit, & veterum repetit vestigia Laudum.
Sic ubi Templa Deûm & sanctas foedaverat Aras
Argolicus furor, eversæ pia Numina *Trojæ*
Intulit *Æneas Latio*, magnumque Penates
Vexit in Imperium, posuitque altaria Divûm,
Æternumque adytis fixit penetralibus ignem.
Hos meritus laudem titulos, hæc tanta virum
Emensus spatia, & gentes hinc inde remotas
Vestigans, moresque virûm; nil linquis inausum,
Nil intentatum, quo Res firmare *Britannas*,
Et patriam instaurare queas per secula Famam.
Unum etiam Meritis istis, unum, Optime Præsul,
Defuit hoc, tractum per bina decennia Bellum,
Et sterilem Palmam, & vacuos finire Triumphos.

Has Tibi fata vices; ſed enim conatibus obſtant
Ferventes *Gracchorum* animi, quibus utile bellum,
Aſpera gens, ſpoliis aſſueta, & vivere rapto;
Nequicquam per mille dolos, atque abdita fraudum
Conſilia, impellit ſuperari neſcia Virtus.
Tu potes hoſtiles ſociare in fœdera Reges
Arbiter, & juſta bene pendens omnia Lance,
Ambiguas figes Metas; Hic Terminus eſto
Celtarum Imperiis; his *Belga* impune fruatur
Sedibus; exultet *Rheni* trans oſtia *Ceſar*;
Tethys, ANNA, Tuæ ſe cuncta per æquora claſſi
Tradat, & Oceanus Tibi ſerviat omnibus undis.
Tot ſuper exhauſtos terraque marique Labores
Tandem abſiſte, Pater, proprioſque inviſe Penates:
Sat Patriæ Famæque datum; cape lætus honores,
Quos *Britones*, quos ANNA parat; ſine debita canas
Cingat vitta comas; per longum floreat ævum,
Auſpice Te *Pax* alma, & amet Tua Munera diri.

Rad. Egerton Baronet. fil. A. B.
è Coll. Æn. Naſ.

In

In Obitum Celsissimi & Desideratissimi Principis GULIELMI Ducis Gloceſtriæ

INter querelas Threiciæ lyræ,
Triſtemque pompam quam tumulo addidit
Camæna ſacro: Tu relictas
Pierio modulare plectro,
Teſtudo, chordas; Tu precibus meis
Amica quondam, Cæſareas vices
Implentem adornâſti MARIAM,
Sheldonii laquearis hoſpes.
Tu buſta Divæ flebilibus modis
Comes ſecuta es: nunc lachrymabile
Ad munus heu! rurſus vocanda;
Heu! ſimiles habitura luctus.
Et Tu, Glovernî, perpetuus dolor
Gentis Britannæ; ſolvere quod licet,
Hoc ſume vectigal, ſupremum
Officium tenuis Camænæ.
Atqui volebam diſſimili viâ
Quæsîſſe laudes, Te cupidus ſequi

Quaſcun-

Quaſcunque migrares per oras:
Seu meritas furioſa Thrace
Moviſſet iras: ſive propinquior
Rupto vocâſſet fœdere Gallia;
Quà Cæſar olim, quà tremenda
Auriacus tulit arma victor.
Hæc auſpicabar, gratum animo vicem
Lœto revolvens; quin aliter Jovi
Viſum eſt, futura ponderanti
Fata manu Britonumque ſortes.
Glovernus, ingens illachrymabilis
Orci trophæum, jam ſuperis datur;
Raptuſque mœrentes relinquit
Sollicitam ſocios catervam.
Nunc indecoro pulvere ſordidæ
Pendent pharetræ; ſcuta jacentia
Rubigo fœdat, flebileſque
Ingeminant litui ſuſurros.
Non arma curat, priſtina gaudia,
Squallens Juventus; non amat, ut prius
Movere bella dulciora, aut
Ponere virginibus pericla.
At Tu, Britannûm *Naſſaide* Stator
Ignes ſepultos & ſolitum excita
Mentis vigorem; neve inerti
Triſtitiâ patiare ſortem

Torpe-

Torpere pubem. Quin agedum plagas
Duc in remotas: Sarmata quà furit,
Quà Torvus exultat Gelonus,
Atque Arabum pharetrata turba.
Invicta dextræ robora sentiant
Gentes Eoæ; raptaque Barbaris
Vexilla ponantur sepulchro,
Cæsarei decora alta busti.
Sic chari Achilles Actoridis rogo
Vindex reponit Dardanias opes:
Tristemque Patrocli ruinam
Flet Priamus Priamique proles.

R. Vernon Baronettus
Coll. Om. An. Soc.

Britonum

Britonum Supplices Libelli.

S. DUM claudunt Belli Portas, Martiſque tumultum
Componunt Socii Reges, odiiſque furentes
Bellatorum animos concordi Fœdere jungunt;
Dum Lituo ceſſante ſonat Lyra, & undique Plauſum
Ingeminant cum plebe Patres, urbeſque per omnes
Certatim inſtituunt ſolennia Gaudia Cives;
Me neque Conſiliis habilem, Rebuſve gerendis
Aptum, angit diſpar Sententia; ſpemque metumque
Inter Mens pendet, nec utrum feliciter *Anglis*
Ceſſerit, an *Pax*, fauſta parum, quid triſte minetur,
Scire licet. Quid vos ſuper his ſentitis, Amici?

J. Me, fateor, tractæ per bina Decennia Pugnæ
Tædet, & incepti, me non naſcente, duelli.
Sat furiis, Martique datum. Sat funera paſſim
Vidimus, & fractas toties Vincendo cohortes;
Et partas luimus ſumptuque & ſanguine Palmas.

L. Ergone Tu *Britonum* famæ, & victricibus Armis
Invidus obſiſtis, dudumque aſſueta Triumphis
Agmina longius ire, & debellare ſuperbum
Borbonium prohibes? quando altera ſcilicet Æſtas
Duxerit *Angligenas Pariſina* ad mœnia turmas?
Ergone tu belli requiem, atque expoſcere *Pacem*

Damnoſam

Damnosam patriæ? *Celtæque* extollere robur,
Devicti ter & amplius? (*J.*) Haud me territat hostis
Gallia, nec *Britonum* diffido Viribus; at me
Raptat *Pacis* Amor, nec habet, Me Judice, felix
Anglia quod metuat doleatve; sed undique tuta
Indicat ferias, ANNÆque instauret Honorem.
En hilaris rerum Facies! en limina circum
Regia stant Proceres, & ab omni Parte *Libelli*
Gratatum veniunt, Populi pia Vota ferentes!

B. Vidi ego *Supplicibus* conferta Volumina *Chartis*,
Quas hinc *Arthuri* proles, inde inclyta *Fergi*
Affert progenies, ANNÆque propinquior *Anglus*:
Vide equidem, at quæ stat Populo sententia, nondum
Ausim conjicere. (*L.*) Ex istis, mihi crede, *Libellis*
Consilium Gentis si vestigare labores,
Nil agis; huc illuc, *neutrum modo mas modo vulgus*
Fertur, & Exemplis regitur: Quid nescit abunde.
Chartarum obvenisse tibi, O infausta Parentis
Magnanimi Soboles, *Cromwelli* fle ilis Hæres?

J. At tecum, (ad *L.*) si rite scio, Vir subdole, pondus
Magnum habuit *Populi Vox*. (*L.*) Et volventibus Annis
Rursum fors habitura. (*J.*) At nunc fraudisque metusque
Expertes ultro coeunt, genus omne, *Britanni*.
En hic, Artis inops, at fidi Pectoris Index
Pagina, & ex una fas omnes discere, verbis
His conscripta infit. "Nos Prætor & Aldermanni,
"Ballivi,

Ballivi, Civesque, atque omnes Indigenæ Urbis
Oxoniæ, ad solium consistimur, OPTIMA PRINCEPS.
Omnes omnia fausta *Tibi* de corde voventes,
Et super accepto gratamur Fœdere, nobis
Dudum exoptato, & sociatis gentibus æquo.
Non ignoramus, quas movit Factio turbas,
Quo cauponaret bellum, non belligeraret
Astu, Infida Cohors: sed Tu, REGINA, fideli
Freta Ministerio, interjecta repagula rumpis,
Nunc *Pacis* florebit Opus, nunc arva Tributis
Libera sulcabit securus Messis Arator.
Hoc *Tibi* pro certo audemus promittere, nos *Te*
Cum Vitis, cum Fortunis munire paratos.
Macte Tua pietate, ANNA, Auspicioque perenni
Protege Subjectos, & debellato Rebelles.

B. Hæccine ab *Oxonia*! sed Ego vix suspicor illud
Urbis opus; certe quisquam de Gente Togata
Composuit; quin Prætori nil detraho, namque Hic
Omnibus Eloquio melior concivibus unus
Præstat, Consiliis habitus non futilis Author.
Unde tamen passim interspersa *Maronis* & *Ennî*
Fragmina collegit? noruntne Poemata *Nattæ*?

L. Tu (ad *B.*) rem rite tenes; nam tota, hunc excipe
Turba Togatorum *Lodoici* partibus adsunt, [& illum,
*Romanis*que favent Aris, studioque maligno
Pacem optant quocunque modo, reducemque *Jacobum*.

J. Te (ad *L.*) potius *Batavis* malefide paludibus ortum
Crediderim, Nauta genitore, olidove Subulco.

B. Ne, Socii, ne tantam animis assuescite rixam.
Culpari Tu dignus, & Hic, & quisquis amaris
Aut *Batavos* dictis petit, *Oxoniamve* Juventam.
Constet honos utrique suus: Tibi gratulor Artes
Ingenuas, *Rhedycina*, nec ausit demere Livor
Pieriam capiti Laurum, meritasque Corollas:
Nec tibi, *Belga*, tuas, *Eoæ* munera terræ,
Invideo Merces; ventis, I, vela secundis
Pande, nec *Angligenus* remex comes ire recuset.
Aspera quæ petulans fundit convitia Vulgus,
Nil moror. (*J.*) At non hic ima de plebe *Quirites*
Sed Procerum Chorus, & Patrum venerabilis Ordo,
Acceptæ memores *Pacis*, Præcordia jungunt.

L. Egregium sane factum! si, cum vocat Usus,
Bis senos Proceres mane Uno Purpura vestit.

J. Priscane Tu (at *L.*) Regum Jura, & sacrata Coronæ
Imperia incusas? licuit, temperque licebit
Regibus, exortem Meritis decernere Honorem.

L. Cum sic *delirant Reges, plectuntur* Achivi.
Tempus erat, Procerum cum nondum largior æquo
Excrevit numerus; cum derivata vetusto
Stemmate Nobilitas ornaret rite Senatum;
Tempus erat, cum res *Britonum* melioribus irent
Auspiciis: tum cura Patrum, Te, Maxime *Cæsar*,

Nunquam

unquam deſtituit, nec ceſſit *Iberia Gallo.*
um memini obſequio plenas hinc inde *Tabellas*
radi, obteſtantes ANNAM, ſidoque monentes
onſilio, non ante feroci abſiſtere Bello,
uam reddat furtiva coactus Sceptra *Philippus*,
late *Heſperiis* dominetur *Carolus* oris.
: ſi nunc eadem Virtus, Geniuſque *Britannæ*
bi ſurgeret æquus! at *Anglis* omnia retro
m ruere, & peſſum ferri. (*B.*) Quin parce Querelis,
rce, Puer, triſti Augurio; nec inanibus angant
llicitam curis incerta Pericula mentem.
s ſaltem ſperare *Anglis* rurſum omnia rivo
ranquillo fluitura, manet fortuna tuorum
ondum deplorata, & fors venientibus Annis,
melius mutanda, & habebunt Fata regreſſum.
J. Diis equidem reor Auſpicibus, Cœloque Secundo
xa Salus *Britonum*: viden' ut florentibus Ori
tibus ANNA favet, poſitis ut lenior iris
iteſcat *Lodoix*, quem non numeroſa Juventus,
n Anni domuere decem, non mille Triumphi.
L. Chartam tradis ob hoc, & in hoc tibi plaudis, inepte?
ilicet expectas, veterem Ille oblitus ut Artem
edifragus ſervet *Pacem*, juratasque Pacta?
J. Hos Ventis committe metus, Me juſtior urget
ura domi, neque de rumpendo fœdere tantum
mmoveor, quantum Inſidias horreſco minaces,

Quas

Quas tua Turba ſtruit, confiſa rebellibus Armis.
B. Neſcio quas *Lodoix* verſat ſub pectore fraudes,
Vel quo jure Fidem colit. At Commercia damni
Ne quid ſuſtineant, metuo; nam ſupplice Voto
Huc illuc properant, importuniſque Senatum
Sollicitant precibus, quotquot vel *Turcica* Ripa
Excipit, aut *Luſitano* de Littore Merces
Qui portant, genus omne, Emptores. (*L.*) Ergone nobi
Conjungi Auxilio, belli Sociuſque vocari
Luſitanus amavit? an hæc in fœdera venit,
Ut vacuos Portus, deſertaque Regna videret?
J. Inſuavine igitur ſeſe *Brito* proluet hauſtu,
Fœcibus æternum damnandus? condita cellis
Amphora *Campanis*, aut quam *Burgundia* jactat,
Sit mihi, neu mixtum cogar ſorbere liquorem.
L. Te nempe intentum Cyathis Socialia Jura
Nil tangunt, nil pacta fides, & ſtantia Magni
Pocula. (*B.*) Sed Patrum mens provida rectius *Anglis*
Conſulit, *Heſperia* rurſum ſua vellera merce
Mutat, & Hoſpitio gaudet *Lisbona Britanno*.
J. Eſt mihi quæ alternis vulgatur Charta Diebus,
Mercator nomen dixere, bene indicat illa
Quæ Ratio mercis, quæ ſit Natura locorum,
Et quid quæque ferat Regio. (*B.*) *Mercator* an ille,
Deſcripſit tabulis totum qui Gentibus orbem,
Magnum *Atlantis* opus? (*L.*) Mihi nec tam larga Ca
mena, H

oc Opus ut coemam, nec tam ſpatioſa *Lycei*
tria, ut excipiant pluteis prægrande Volumen.
J. Idem Utrique Error: quem nos laudavimus, Author,
on *Maris & Terræ numeroque carentis arenæ*
enſor, ſed rerum experiens, & Mercuriali
allidus Ingenio, ad cunctas verſatilis Artes,
ucrandique Vias; docet Ille, quid Utile genti,
uid minus expediens; Ille annua ſupputat *Anglos*
*rancigenas*que inter Commercia, & arbitrio æquo
ommoda certa *Anglis* ſtatuit, Diſpendia *Gallis*.
L. Hactenus erravi, fateor, ſed re bene penſa
ovi hominem & Mores; totam hic impune per Urbem
endaces ſpargit nugas, dictante Magiſtro.
B. Hæret in ambiguo mihi mens, neq; conſtat an [Illi, (ad *J.*)
n Tibi (ad *L.*) crediderim ſecurus. (*L.*) Credulus Illi,
il facies unquam dignum ſapiente bonoque;
uin Animos *Britonum* indomitos, & libera Colla
oges ferre Jugum, & cuivis ſervire Tyranno.
J. Huic (ad *B.*) ſi credideris nimium, ſanctiſſima Legum
incula perrumpes, Regeſque Deoſque peroſus,
emplorum ritus, & Majeſtatis honorem
æſareæ impugnabis, & inviolabile Sceptrum.
B. Jurgia quo Vos plura movetis, plus Mihi pectus
luctuat, ancipitique agitatur Imagine rerum.
ANNÆ nil renuo ſolenni more *Libellos*
erre, ſed an Grates, interponamve Querelas

Neſcio

Neſcio. (*L.*) Forte ſcies cum deſperata *Britannûm*
Fata miſer videas, nec Conditionibus æquis
Pactam, nec Patriæ quid dantem optabile, *Pacem.*

J. Si (ad *B.*) libeat Plauſus inter miſcere Querelam,
I, roga, ut immiti nudet ſua terga flagello
Seditioſa Cohors, ut Leges, Pœnaque lata
Scribendi reprimat Cacoethes, & impia Preli
Libertas juſto incipiat ſub limite claudi.

B. Non Opis eſt noſtræ veſtras componere lites,
Non ea Vis animi: ſed quod conamine vano
Aggredior, volvenda dies fors afferet ultro.
Ite igitur Juvenes, & junctis viribus ANNAM,
Officioque pari defendite. Nulla Simultas
Cordibus inſideat, ſed, uter ſit amantior ANNÆ,
Unum eſto Certamen. Ego Votiva parabo
Scripta, nec ambiguus mentis, formidine vana
Diſtrahar ulterius. Quid non ſperare licebit
Sub tali Auſpicio? populo dum Jura volenti
Edicit, Cœli Cura & Spes una *Britannûm*,
ANNA, *Stuartorum* Soboles: dum fida miniſtrat
Conſilia *Harlæus*, dubio ſuccurrere ſeclo
Natus, & *Angligenis* firmare immobile Sceptrum.

Recitârunt in Theatro { *Jac. Bourverie*, *Ric. Lyddel*, *Edvard. Jones*, } ex Æde Chriſti Sup. Ord. Com. ex ead. Æd. Com.

In

In Obitum Celsissimi & Desideratissimi Principis GULIELMI Ducis Gloceſtriæ.

Excellenti in re Medica Viro D. D. HANNES.

O Cui faventi numine Delius
Aſpirat æque, ſeu Medicos libet
Miſcere ſuccos, ſeu canoram
Pectine ſollicitare chordam;
Herbis caducam cum licuit minus
Vitam tueri, O nunc veteris memor
Teſtudinis, dudum relicto
Fila ciens modulare plectro
Vocale carmen: quo prius auſpice,
Arces inibat *Carolus* igneas;
Quo nuper æternas *Mariæ*
Alma tulit *Rhedycina* lauros.
Extrema grati munera Barbiti
Poſcit *Glovernus*; Tu niveæ jubar
Non ſegne frontis, indiceſque
Pone oculos animi loquaces:
Ut arſit acri lumine diſſitas
Luſtrare terras, caſtraque dædalo

Exſculpta ferro, queis futuro
Excidium meditatur ævo.
Pone æſtuantem pectoris impetum,
Haſtam tenellâ ſive vibret manu
Imberbis Heros, ſive duro
Bucephali premat ora froeno;
Cingat frequenti militiâ latus
Coæva pubes; oppida fictili
Educta limo ſternat igne,
Auriaci ſimulachra belli.
Hunc non inerti lumine contuens
Decora virgo, molliculum jecur
Senſim tepeſcit; O beatam,
Siqua Tibi placitura, Nympham!
Quot ſerta nectet, quot reduci oſcula
Libabit olim! fauſta volentibus
Quot fundet Heroas Britannis,
Connubii geniale pignus!
Hæc illa: —— ſed Te triſtior avocat
Imago, mœſtæ conveniens lyræ,
Jubetque nolentem intereſſe
Funereis iterum querelis.
Depinge aduſti ſanguinis impetu
Venas micantes: mox celeri caput
Volutat orbe, mox voraci
Pectora depopulatur igne

Febrilis

Febrilis ardor; ſuetaque lucidùm
Fulgere quondam lumina, pondere
Devicta torpeſcunt inerti.
Ah! quid agis ſtudioſa chari
Cohors *Gloverni*? quò Tibi ſpiritus
Receſſit, ægro militiæ Duce?
Ut dextra friget! ut recurvo
Scuta tholo galeæque pendent!
Pendent apilli, fœmineus decor,
Vulſæque compto vertice tæniæ:
Nymphæque, jam primum moleſta
Semianimi Dominæ caterva,
Vanis miniſtrant officiis opem:
Hæc Te requirit, ſpeſque ſuas Tibi
Commendat ultro, certa, ſiquid
Herba potens valeat, ſalutis.
Tu quicquid Hortus vel Chymicus labor
Promit, ſalubri ſuppeditas manu;
Sed impotentem ſpernit artem
Non Medico ſuperanda Febris.
Quin mox *Glovernum* pectine Lesbio
Addes recentem ſideribus Deum;
Vitaque donabis perenni
Invidiam faciente *Parcis*.

Joh. Friend A. B. Ædis Chriſti Alumnus.

Commercium ad Mare Auſtrale.

DUM victos *Gallorum* animos, finitaque Belli
Tædia, & *Europam* compoſta *Pace* ſilentem
Læta Theatra ſonant: *Britonas* generoſa reliquit
Ambitio, ſecura Quies oblita laborum
Corda habet; & ſe jam fauſtam ſatis *Anglia* credit.
Non ſic *Harleio* viſum. Vir providus audet
Ulterius prodeſſe; in publica Commoda magni
Prodigus Ingenii: Tacita *Ille* in mente repoſtas
Res Patriæ propere evolvens, perque omnia Acumen
Indefeſſi Animi verſans, nova Sceptra remotis
Invenit in terris, aliumque ANNÆ indicat Orbem.
Defunctæ bello Naves, ignobilis Otî
Probra diu veritæ, obſcuram ſine laude Senectam
Ducere non ultra metuunt; ſed munere digno
Ornatæ, modo quæ pacarant, æquora viſent,
Exaucturæ Opibus, quos defendere, *Britannos*.
Jamque mari inſultat Claſſis, fluctuſque ſuperbos
Spe plena agglomerans, fragrantia pone relinquit
Littora *Braſiliæ*; vel divitis Oſtia *Platæ*
Contendit petere; aut *Patagonas* viſere geſtit
Prole Gigantea notos; vel præterit æſtum
Lemarii, & flavæ *Chiles* allabitur oris.

Apparent

Apparent procul, & nudata cacumina Montes
Attollunt mœsti: ac veluti prædives Avarus
Inculta squallet facie, miserabile corpus
Horrida deformat Macies, & turpis Egestas
Mendaci ore sedet; Tali Regio ista videtur
Aspectu; non læta Seges, non Herba viresçens
Triste solum vestit; non ridet fertilis Arbos,
Non ipsum infelix Lolium; nuda omnia circum,
Et tota est sterilis Tellus. Tamen intus abundat
Vis larga Argenti, & rudis Auri pondera crescunt.
Huc subeunt *Britanes*, justaque cupidine lucri
Ardentes, alacri terras clamore salutant.

Indigenæ *Australes* celsas accedere Puppes
Littore prospiciunt, & vim prohibere parati
Armis cuncta tenent: at cum venisse *Britannos*
Fama refert, tanto perculsi nomine, saltant
Horrendum; & positis jaculis, & corde feroci,
Certatim coeunt, oculisque & mentibus hærent
Affixis; Roseasque genas, formosaque lustrant
Corpora, mirantes tanta dulcedine mistum
Terrorem, Bellique decus. Nunc sanguine tinctis
Hispano gladiis dant Oscula; telaque palpant
Horrida; quasque modo trepidavit *Gallia* Cristas,
Attrectant blandi; per barbara pectora surgit
Lætitia; usque adeo juvat aspectasse *Britannos*.

Ast illi interea, quas sedes incolit Aurum,

Quam ſecreta ſibi poſuere Cubilia Gazæ,
Quærere feſtinant prompti: delectat euntes
Sub pedibus crepitans Tellus, & tinnula Gleba
Vicinas enarrat Opes; Stellata metallo
Saxa micant, tremuloque ardeſcit pulvere Campus.
Labitur exiguus juxta per devia rura
Rivulus, & ripas, quas flumine lambit, inaurat;
Lætus adit miles, propiori languidus æſtu,
Dumque ſitim ſedat, vaga lympha ſub ore bibentis
Flaveſcit, luditque Aurum ſubtile per undas.
Talibus exercet ſeſe novus Advena curis,
Et rufam vel verſat humum, aut rimatur arenas,
Aut ſubit effractos montes, curvaſque fodinas;
Aut nudum ſpectat foſſorem viſcera terræ
Diripere, & venas inveſtigare ſequaces;
Aut, alio verſus, liquidum fluitare metallum,
Fornaceſque ſtupet Nummis fervere futuris.
Interea expediunt *Indi* pretioſa *Britannis*
Munera, Amicitiæ pignus; Donumque paratur
Magnificum Victrici ANNÆ: Quid Fœmina fecit
Barbara Gens canit, atque incultis laudibus ANNAM,
Delicias *Boreæ*, celebrans, Commercia jungi
Optat, & inde novos ſibi ſurgere ſpondet Honores.
Jamque omnes reſerantur Opes, magniſque ſuperbi
Hoſpitibus populi, latebris expromere gaudent
Divitias, veteresque ultro tellure recludunt

Theſau-

Theſauros: & jam detracta monilia collo,
Dædaleas Plumas, & vaſti Ponderis Aurum,
Argentumque ingens cumulant, ſtipantque carinis.
Totos pande ſinus *Thameſis*, læto excipe fluctu
Quas tibi Primitias *Notus* affert, Orbis *Eoi*
Invidiam. Pro te nunc æmulus *Indus* uterque
Muneribus certat: tua, lûxus quicquid ubique eſt,
Unda vehit; *Thameſi*que ſuperbum cedere *Gangem*
Mœſta *Aurora* dolet. Seri gaudete Nepotes;
Immortalem aperit Theſaurum *Harleius*; & *Auſtrum*
Pandit inexhauſtum. Vos vela tumentia, *Belgæ*,
Contrahite: & tanto ne faſtu, *Hiſpania*, jactes
Tecta ſuperba *Limæ*. *Britones* miracula *Chiles*
Narrabunt propriæ, & ſpernent juga fulva *Potoſi*.
Anglia nunc, Armis poſitis, meliore Metallo
Vulnificum mutat Chalybem, creſcitque viciſſim
Ferro Auroque potens: duplici hoc Munimine tuta
Perpetuam aut celebret *Pacem*, æternoſve Triumphos.
Tu quoque luxurians nativo Nectare Tellus,
Chara mihi Patria, exultes; Tu debita jungas
Gaudia; Te poſthac ſupremo in limite Regni
Non diſtare querar; non terminus Uſtimus ANNÆ
Sceptri eris: *Angliacum* nunc ipſum reſpicis *Auſtrum*,
Teque Orbis mediam video, Imperiique *Britanni*.

Joh. Alleyn, Reynoldi Alleyn de *Barbadoes*
Arm. fil. Coll. Mag. Sup. Ord. Commenſ.

ACADE-

ACADEMIÆ FRANCOFURTANÆ ad Viadrum Encænia.

Carmen Sæculare.

M. DIVA, quam magni cerebrum Tonantis
Matris expertem peperit, ferocis
Arbitram belli, simul & tuendis
Artibus aptam;
Seu Deos inter, Superumque cœtus
Proximos Patri capias honores;
Seu favens terris dare jura malis
Cecropis Urbi;
Huc age auratum, Dea, flecte currum,
Huc vocata ausis; placidoque vultu
Publicos Indos tibi jam parantem
Respice pubem.
H. Te juventuti facilem precatur,
Te vocat Musis bene notus Isis;
Cæteros præter fluvios amicus
Vatibus Isis.
M. Te suis poscunt studiis benignam,
Te die festo memorant Borussi;
Quà sacer Musas recreat perenni
Amne Viadrus.

H. Tu

H. Tu probos mores animoſque caſtos,
Virgo, des pubi tibi ſupplicanti;
Da tuæ pubi ingenium, otiumque &
Laudis abunde.

M. Ut juvat feſtos celebrare ludos!
Quos prius nemo aut hodie ſuperſtes
Vidit, aut poſthac, referente Phœbo
Sæcla, videbit!
Cerne feſtivi varium triumphi
Ordinem, cerne ut juvenes patreſque
Docta feſtinant cumulare multo Al-
taria dono.

H. Hic lyrâ doctus fidiumque chordis,
Aptat argutam citharæ Thaliam;
Ille ſermones metrico ſolutos
Compede fundit.

M. Abditos alter penetrat receſſus,
Quidque Natura efficiat; quid infra,
Quid ſupra terras agitet, ſagaci
Mente revolvit.

H. Orbis extremos, ope linearum,
Terminos ſignat; datur intueri
Mœnia, atque urbes, fluvioſque, & agros,
Indice chartâ.

M. Solis Errores docet hic, vagæque
Tramitem Lunæ; reſeratque gnarus

Quid ferant lætum, grave quid minentur
Sidera terris.
H. Quid per immenſi dubitamus ultra
Æquoris tractus volitare, notis
Siderum ducti auſpiciis, & acti
Remige vento?
Caſtra quid ceſſat docilis juventus
Ficta metiri, & ſimulacra pugnæ?
Ecquis arcebit novus Archimedes
Mœnibus hoſtem?
M. Artium fautrix, Dea, Te trecenæ
Concinunt linguæ; tibi diſſitarum
Gentium voces properant amico
Plaudere cantu.
Te ſonant Muſæ, Dea, leniori
Italæ cantu; bona tu Minerva
Diceris; linguâ vocat altiori
Pallada Graius.
H. Diſpari fervet ſtudio juventus
Æmula, explorans animo ſagaci
Quicquid humanos peperêre in uſus
Arſque laborque.
M. Quærit hic ægris medicum levamen,
Seu cutum undoſus gravet intus Hydrops,
Seu Febris venas niveo calentes
Torreat æſtu.

H. Ille

H. Ille rixanti populo viritim
Jura distinguit, Titiumque lites
Inter & Caium dirimens, iniquum
Signat & æquum.
M. Hic sacris rite invigilans, Deorum
Explicat cultum, & dubio quod olim
Præcinens versu monuit Sibylla,
Te duce, pandit.
H. Diva, si gratum tibi quid Britannæ,
Dulce si quando cecinêre Musæ;
M. Rite si vestrum juvenes Borussi
Numen adorant;
H. Respice Ormondum, Dea, præter omnes
Isidi charum; fera seu movere
Bella, seu gaudet stabilire custos
Otia Musis.
M. Principi præsens faveas Borusso,
Principis curæ faveas Togatis;
Protegat Musas, peragatque fælix
Munia belli.
H. Excolant artes socias Camænæ,
Isidem amplexu foveat Viadrus?
M. Tu vicem alternans foveas amicum,
Isi, Viadrum.

Recitârunt in Theatro { *Amos Meredith* / *Guil. Harvey* } Sup. Ord. Com. ex Æde Christi.

Muſæ Fœderatæ.

QUÆ modò Victrices Aquilas, *Iſtrumque* cruore
Tardum *Celtiaco*, conjurataſque Cohortes
Borbonii in cladem ceciniſti, horrendaque *Gallis*
Funera *Blenimiæ*, nunc O! Viridantia Serta
Malburii mittas, immortaleſque Labores:
Sat Furiis Martique datum eſt; nunc Diva Triumphos
Caſtalidum molire novos! en Veſter Apollo
Inſtaurat Ludos, coeunt in *Fœdera* Muſæ
Miſcentque Aoniæ Socialia caſtra Phalanges!
O! Salve veneranda Domus *Francfurta*! Tuorum
Oxonidum dilecta Soror! Tibi linquit Honores
Granta ſuos, *Rhedycina* ſuos, ceditque *Viadro*
Iſidis & *Cami* non amplius Æmulus amnis.
Quam juvat ex Famâ, ex Vobis audire Minervæ
Solennes Pompas, docti Spectacula Circi,
Lætoque Augurio renovata Exordia Sæcli
Pierii, atque pudica Togatæ gaudia Scenæ!
Quam Veſtrum reſonare Decus Generoſa Juventus
Angligenûm exultat! *Sheldoni* immobile Saxum
Ingeminat procul, & Peregrinâ laude ſuperbit:
Dum Vos *Saxonicæ* placidum moderamen *Eliſæ*,
Fœmineamque manum Muſas atque Arma tuentem

Alite

Alite Mæonio celebratis; facta *Boruſſûm*
Grandia conamur Tenues, atque impare Verſu
Implet vocalis *Friderici* fama Theatrum.

Fortunatæ Ædes! quas Numinis æqua benigni
Aura fovet! blanda irradiat quas Lumine *Pallas*,
Phœbuſque alterno, atque accendit Mutuus Ardor!

Grex procul hinc ſanctis *Fanaticus* exulet Oris,
Ignarum Pecus, Opprobriis petulantibus auſum
Et Muſas violare, ipſoſque laceſſere Divos!
Hinc procul in Cellas *Monachorum* Turba recedat,
Plebs inviſa ſuis merito Damnanda Tenebris.

En! Donis animata Tuis *Friderice* reſurgit
Florentûm Ingenio Meſſis fæcunda Virorum,
Cranmeri ſoboles rediviva, & plurima Imago,
Lutheri, Romæ indefeſſus Fraudibus Hoſtis!
Ceu libeat Veri arcanos aperire Receſſus,
Vix *Bullos*, *Janeoſve* ſuos magis *Anglia* jactat,
Quam Te *Strimeſi*, Teque O! *Becmanne* ſtupeſcunt
Germani, Ambages ſubtili Indagine cæcas
Solventem, & Sacri reſerantem Oracula Verbi.
Nec minùs Ipſe Tibi, *Chichleæ* Gloria ſedis,
Plaudas *Bouchere*, Eloquio licèt explicet acri
Par Tibi *Cocceius*, nodoſi Ænigmata Juris.

O! Auguſta cohors! cui præſens Invidet Ætas,
Quamque Futura colet! Vobis vulgata per Orbem
Scripta decus longum tribuent, vitamque Perennem,

Quam

Quam vix morbifugâ Phialâ, ſuccove potenti
Radclivius dabit, aut Medicis *Jurenius* herbis.
Interea Veſtræ non dedignentur *Athenæ*
Oxonias hederas, quas Ingens Tempora circum
Spanhemius, *Grabiuſque* gerent, nec ſpernet Alumnus
Cæſareus, Gentis Spes non indigna *Boruſſæ*.
Sic Lyra *Calliopes*, pulsâ Teſtudine *Phœbi*,
Concentu ſimili, & repetitâ Voce tremiſcit
Concita, dum paribus Modulis concordia Fila
Cognatum jungunt Melos, & Sociabile Carmen.

Guil. Glyn
Baronetti Filius Unicus, Coll. Omn. Amn.
Socio-Commenſalis.

Acade-

Academiæ VIADRINÆ Encænia Sæcularia.

ODE.

CArminum Præſes citharæque Clio,
Sive percuſſis fidibus canendo,
Voce ſeu mavis, bene præparatum
Dic age Carmen.
Qualibet lato ſpatiare cœlo,
Qualibet currum vaga per Olympi
Sidera inflectas, retege involuta
Nubibus ora.
Turturum frænans Cytherea bigas,
Quam juvat myrto caput impedire,
Gratias Tecum facileſque Divos
Transfer amores.
Tuque lethali celebris pharetra
Phœbe, Pythone edomito ſuperbum
Pone nunc arcum, fidibuſque nervos
Adde canoros.
O dies felix, redeunte ſæclo,
Artium ſedis memor inſtitutæ,

Cura

Cura quam Phœbi decorat Viadri
Accola pubes!
Dextera Pallas quatiens Olivam
Advenit; Pallas ſtudiis juventæ
Præſidet, gaudens ſociare Muſas
Anglo-Boruſſas.
Hinc amor longum maneat per ævum,
Hic & ad ſeros veniat nepotes;
Sorte communi rata ſint utrique
Otia genti.
Iſidis donec vitreas ad undas
Excolis doctas, Rhedycina, Muſas;
Nulla dilectum tibi Francofurtum
Sæcla tacebunt.

Impe-

Imperium Pelagi.

B. O Fortes animi juvenes, quos aſpera Martis
Tædia, & incerti paſſos diſcrimina ponti
Patria gratatur reduces, concedite fratri
Emerito feſtis intexere vota triumphis.
Dum tales Heroum animos, & tanta revolvo
Prælia, deſuetas effæto in corpore vires
Sanguis agit circum, veteremque reſuſcitat ignem:
Qualis erat, cum Marte ferox viridiſque juventâ
Per Batavas late vulcania fulmina claſſes
Intulerim, imperii vindex ultorque Britanni;
Ut meminiſſe juvat, noſtræ dum carbaſa puppes
Extulerint, flexis ultro decedere ſignis
Hiſpanos Senonaſque! juvat ſecura reponi
Jura maris, veteremque Anglis rediiſſe Tridentem.
Vos adeo, juvenes tanti pars magna triumphi,
Huc agite, & veſtri ſeriem memorate laboris.

S. Quas ego rettulerim palmas, quot ſtragis acervos
Ediderim victor, ſeris annalibus olim
Mandabo celebranda: mei ſatis undique noti
Effulgent tituli, propriæ nec vocis egentes.
Quantus in arma feror, quantuſque ad mœnia Budæ
Per medios telorum imbres, perque invia foſſæ
Munimenta

Munimenta ruens Vexillum hoſtile refixi,
Attoniti dicant Turcæ; quo turbine in arces
Namurci irrumpens egi pavida agmina, narrent
Dextra hac depulſi Celtæ, incolumeſque Batavi.
Teſtis ſæpe meæ Rhodanus, ſæpe Iſter & Albis
Militiæ teſtes: at non mihi gratior ulla,
Quam modo Cantabrico derepta à Vertice laurus.
B. Nota mihi ſatis illa tuæ geſta inclyta dextræ:
Non opus hæc repetas: ſed Iberis neſcio quales
Abſtuleris palmas. *F.* Et adhuc neſcire licebit,
Hunc tibi ſi petis Hiſtoricum, qui cautus in imâ
Delituit cellâ, ſimul ac inamabile ſignum
Ediderit pugnæ præludens Buccina, & aures
Fortiter obtexit duplicis munimine palmæ:
Ne forte ad pugnam excitus cadat hoſtia nautæ
Hiſpano, fœdetque indigno vulnere lauros.
S. Tu, cui ſummus honor pedibus conſcendere funem,
Aut fragiles ſarcire gravi picis unguine puppes,
Tune audes inhoneſtam animæ huic affingere labem?
Tune metum huic dextræ? quæ ſi cum remige fœdo
Certare abnuerit, tenuem indignata triumphum,
Non ignava tamen ſuperatæ in margine ripæ
Deſtitit, oppoſitaſve adiit ſine ſanguine turmas.
Primus ego refugos ad clauſtra ſecutus Iberos
Præſidio excuſſi murorum: ego primus in arcem
Expugnavi aditum, & ſociis ſpatia ampla recluſi:

Inde

Inde domos & templa peto, cœcaſque per urbem
Exploro latebras. *F.* Latebrarum agnoſco peritum,
Iſtam aciem nulli quondam fugere receſſus.

S. Hinc Nymphæ, formoſa cohors, & Cælibe vita
Indignæ, trepidare metu: Monachûmque catervæ
Deſerere attonitæ veterum ornamenta Penatum,
Relliquiaſque, cruceſque & buſta rigentia gemmis.
Has ego per medios hoſtes, per tela, per ignes
Exuvias rapui, Patri ſacra ſigna Gradivo.

F. Egregium Heroem? cui nec blandiſſima formæ
Gratia virgineæ, & molli Venus ore renidens,
Religiove loci virtutem inflectere poſſent.
Tanta fides animi, & tanta eſt reverentia Martis!

B. Parcius hæc (*ad S.*) ne mox caput inſuperabile bello
Carnifici tradas, nec Mars tibi proſit amicus.
Tu (*ad F.*) tamen interea, quando Hic in littore geſtam
Comiter explicuit pugnam, & ſua fortia facta,
Dic age quos retulit per Cærula regna triumphos
Anglia, quas clades animoſo immiſit Ibero.

F. Non ingrata jubes: tandem in certamine victrix
Æquoreis dominatur aquis ſecura, nec olim
Ullâ ſe tantum jactabit Patria lauro.
Nequicquam Heſperios tractus, orbiſque remoti
Suceſſus explorat Iber, glebæque feracis
Viſcera diripiens immaturum eruit aurum;
Nequicquam inſtructæ pretioſa merce carinæ

Exultant

Exultant pelago: non illis bellica prosunt
Præsidia, accitæque rates; non objice portus
Muniti tutantur opes: volat ocyus Euro
Arma ferens Classis Britonum, mox aggere rupto,
Certatim invadit latera, antennisque virisque
Præcipitesque globos, nigrantesque ingerit ignes.
Frendet Iber frustra indignans, coramque tuetur
Divitias avidis volvi ludibria flammis,
Spem magnam Imperii, bellique alimenta futuri.

B. Salve, antiqua parens, cui jura perennia ponti
Firmat natura, & validæ, tua munera, quercus;
I nunc, funde rates, iterumque assuesce volentis
Imperio Oceani: lectis ingentia campis
Castra locent alii, vicinaque Marte secundo
Arva premant, multaque onerent confinia Turre.
Tu, Patria, æquorei cures munimina regni.
Hæ tibi erunt artes; pelagoque educere classes,
Venari mercem, & tractus tentare remotos.
Sic ultro pater Oceanus tibi sceptra redonet
Æquoris, & Tethys tibi serviat omnibus undis.

S. O magna Heroum nutrix, dilecta Gradivo
Anglia; te, quæcunque vocas in bella, per omnes
Tutabor casus: dum spiritus hos regit artus,
Non Anglum vexabit Iber. *F.* Non Anglus Iberum,
Si tali infelix se credat Patria dextræ.

S. Invidiâ rumpare licet, me talibus ausis

Frustra

Fruſtra dimoveas. Ibo per Cærula ad arces
Madritii, & mediam penetrabo Claſſibus urbem.
F. I felix virtute; tibi nil obſtat eunti,
Cui ſic nota Thetis: mox & pedes æquora curſu
Verres, & Lybicam ratibus ſulcabis arenam.
Sic olim attonitum numeroſo remige Xerxes
Stravit Athon, medioque eduxit carbaſa clivo.
S. Ingenio tibi plaude tuo; me ſæpe per altum
Signa tuliſſe Salum, & navali tempora ſerto
Indutum videre, ingentis nomina famæ,
Rookius, Hobſonuſque, quibus neque ſecula priſca
Donavere pares, nec poſtera proferet ætas.
B. O animi illuſtres, pelagi tutela Britanni,
Quam vellem in veſtras æquis aſſurgere laudes
Viribus, eloquioque pari! Vos ultima Nerei
Atria, vos geminum ſignis victricibus orbem
Permenſi, Britonum decus inſtauraſtis avitum.
Jam mihi præteritum videor ſublapſus in ævum
Antiquos revocare dies; Harmannica virtus,
Sanduicique umbræ, Monchique recurrit imago.
Scilicet auſpicio tali quas Anglica tellus
Non ſibi promittat palmas? dum Georgius armis
Præſidet, & dextro bonus omine temperat æquor,
Difficileſque aditus, portuſque recludit Iberos.
F. Jam lucri ſecurus ovat mercator, & audax
Urget iter, nec jam metuit, ne forte ſabæâ

Merce

Merce gravem aut rapiat Prædo, aut crudelior hoſtis
Celta ratem; quin longa alacris ſecat æquora, certus
Conjugium optatum dulceſque reviſere natos.
Omnia tuta patent; peregrinaque litora late
Hoſpitio indulgent Britonum: ditiſſima rerum
India fundit opes, & opimâ meſſe renidens
Syriacus ſe pandit ager: non vellere Moſchus
Invidet, Heſperideſve ſuos quærentibus hortos.
Attonita hinc reducem gremio excipit Anglia claſſem,
Theſaurum ingentem, & gemini ſpolia annua mundi.

S. Quin ego, cum bello deſit locus, arma Gradivo
Militiæ ſatur hæc voveo: nunc altera certum eſt
Signa ſequi, & dulces fidâ trabe quærere gazas:
Tu modo, Cylleni, curſum, tuque Anna ſecundes.

B. I, vento committe ratem felicibus Annæ
Auſpiciis fretus: lato facit otia ponto
Anna potens pelagi, & liquido pacem imperat Orbi.

Recitârunt in Theatro, { Honoratiſſ. Dom *Mich. Burke*, Hon. Dom. Bar. de *Bophin.* Fil. Nat. Max. *Gul. Flower* Sup. Ord. Com. *Rob. Stratford* Sup. Ord. Com. } ex Æd. Ch.

In

In Obitum Celsissimi & Desideratissimi Principis GULIELMI Ducis Gloceſtriæ

NUnc luctuoſi ſponte fluunt Modi,
Et raucus ultro funereos ſonos
Dat Pecten, injuſſique mœſtis
Proveniunt Numeri Camænis.
Nuper MARIÆ præproperum Rogum,
Stellamqne cœlis ocyus additam,
Flevere vates, Barbitique
Vix querulæ ſiluere Chordæ:
Jam rurſus udas Funera Nænias
Poſcunt, Poetis nunc iterum Febris
Eſt execranda, & ſæviorem
Inſtituit Libitina Pompam.
Quin Tu peremptum, infauſta *Gloceſtria*,
Luge, Britannis Urbs inamabilis;
Inauſpicatos olim Honores
Non dabis, & Titulos caducos:
Non Tu videbis tempore poſtero
Illum cientem Prælia ludicra,

Siccaſque

Siccaſque Pugnas, & minantem
Hoſtibus Exitium futuris.
Nì reſpuiſſet Parca ſeverior,
Quot Ille Lauros emerito Patri
Victor reportaſſet? Quot ANNÆ
Sollicitæ dederat Timores?
Feſtiva nuper cum rediit Dies,
Ut ſe movebat lubricus aſpici
Inter choreas, ut Puellæ
Ignibus inſolitis calebant!
Quis fulſit Ardor vividus in Genis!
Qualis nitebat maſcula Gratia
In fronte, fraudatumque Lethum
Pollicita, & vegetam ſenectam!
Nunc Præda fati nobilior jacet;
Impunè victrix deſeruit Febris
Artus rigentes, & ſupremo
Frigore detumuêre Venæ.
At uſque inhærens ANNA Cadaveri
Nunc Labra jungit vix gelidis Genis,
Et nunc inextinctos Calores
Sentit adhuc, tenuemque Vitam:
Sed fruſtrà inanem credula ſpem fovet,
Et poſcit amens Hannefii Manus,
Heu! neſcias tardare ſuccis,
Aut Numeris, Animam fugacem.

Tranſivit

Transivit Undas irremeabiles,
Et vel MARIÆ, vel CAROLI sinu
Repôstus, hoc fortasse ridet
Flebilis Officium Camænæ:
Nunc Ille Majorum egregios videt
Manes, beatis Auriacæ domus
Admistus Umbris, Deliique
Non gemina revocandus Arte.

Johannes Percivale
è Coll. Mag. Baronettus.

C Solen-

Solennis Proceſſio ad Ædem Divi Pauli.

DUM clauſæ Belli Portæ, pacataque rurſus
Secula, feſtivis referunt *Encænia* Muſis,
Dum lætos iterant Plauſus, Arteſque reverſas
Tercentum celebrant Citharis Phœbeia Juventus,
*Sheldoni*que Lares rauco clamore reſultant;
Quas feſto REGINA die, Diis chara, Deorum
Ad Delubra parat ſolennes ducere Pompas,
Hinc canere aggrediar: numeros *Thymbræe* potentes
Da Pater, incœptumque una decurre Laborem,
Tantarum repetens mecum Spectacula Rerum.
Aurea qua niveis invecta Jugalibus ANNA
Cincta comas Olea graditur, Sacraria Divûm
Alta petens, effuſa omnis ruit *Anglica* pubes
Certatim, ſtipantque latus denſo agmine vulgus.
Non genua ægra labant Senibus tardante Senecta,
Fœmineaſve agitans ſueta formidine mentes
Terret Scena, licet numeroſo Milite Vici
Splendeſcunt, raucuſque Tubæ circumſtrepit Horror.
Ipſa triumphali incedit per Compita Plauſu
In medium REGINA chorum, comitatur euntem
Nobilium

Nobilium Manus, & Sancti longo ordine Patres,
Caſtrorumque Decus, placidæ pars maxima Pompæ.
Quale Examen Apum, dulces ubi prodit in hortos
Rex operum Cuſtos, referens fragrantia mella,
Hinc atque hinc glomerantur, & aulam, & cerea circum
Tecta volant, lætoque fremunt per prata Suſurro.
Illum, fida Cohors, Proceres, parvique Quirites
Murmure deducunt hilari, & plaudentibus alis.
Quis tamen aurati ſequitur geſtamina Sceptri
Longum pone trahens Syrma, atque auguſta Sigilli
Ornamenta gerens? Sellas agnoſco Curules,
Egregioſque Viri vultus; qui Frontis Honores!
Quem ſeſe Ore ferens! quæ dulci Gratia pollens
Eloquio, & Linguæ quam non imitabile Fulmen!
Ille, vides, niveæ qui pulchra Inſignia Virgæ
Prætendit manibus, cui Mucro Pectus honeſtum
Tranſegit, profugæque, nefas! Audacia Dextræ;
Ille graves Regni Curas ſub mente volutat,
Inque humeris Patriæ Spes inclinata recumbit;
Illius Auſpiciis, ſecurus mercis ad *Indos*
Navita fert puppes, nullis disjungitur Oris
Anglia, & *Auſtrales* revehit trans æquora Gazas.
At quidni *Tu*, *Sancte Pater*, redimitus Oliva
Solenni interſis Voto, cur redditus *Anglis*
Non ades, & præſens ornas, Tua Munera, *Pacem*?
Sed non ſorte pari tenuerunt invida Fata

ORMONDUM, viduique Ducem flevere *Britanni*;
Aſpice ut Heroi plauſu gratatur ovanti
Miles, ut obtutu lætus ſtudioque videndi
Ardet inexpletum; quæ paſſim Gaudia Cives
Ingeminant, quantiſque implent clamoribus Urbem!
Ferte citi, *Oxonidæ*, Ramos frondentis Olivæ,
Ferte Hederas; meritaſque para, *Rhedycina*, Corollas
Dilecto Capiti; ſi quid Tua Carmina poſſunt,
Si quid Plectra valent *Phœbeia*, ſemper amicum,
Semper honoratum ſærves in ſecula Nomen.
Nec *Tu*, Deliciæ Muſarum, indictus abibis,
Inclyte Vir, tanti graderis qui Gloria Cætus,
Os humeroſque Deo ſimilis, Linguæque potentis
Eloquio pollens, Quem *Franca* nuper in Aula
Audiit attonitus *Lodoix*; qui ſæpe Senatus
Firmaſti dubios animos, nunc inter avitos
Magnates, ſic ANNA jubet, Decus addite fulges.
Quis tamen inſolitus præſtringit Splendor ocellos,
Divinumque Jubar? *Paphiæ* quæ Munera Divæ,
*Idaliæ*que Faces? quæ lucet in ore Venuſtas
Virgineo! Nymphæ quam late tela minaces
Vibrant, veſter Amor, Juvenes! Avertite retro
Lumina, nec tantas male cauti accedite flammas.
Formoſi media ANNA Chori, cervicibus altis
Extat, & Inceſſu gravior, Cui fronte ſerena
Majeſtas, placidoque renidet Gratio Vultu.

Qualis

Qualis agit triplicem Capitolia ad alta Triumphum
Cæsar, Diis *Italis* Vota immortalia solvens,
Hinc atque hinc variæ Gentes, *Romana*que Pubes
Cirumstant, lætoque Ducem clamore salutant;
Ipse *Quirinales* Curru sublimis ad Aras
Invehitur, Victorque viros supereminet omnes.

Tho. Bromley, Hon^mi *Guil. Bromley* Arm. Sereniss. Reginæ à Privatis Consiliis, & Honorabilis Dom. Com. Oratoris, fil. nat. max. Ædis Christi Alumnus.

In Obitum Sereniſſimæ REGINÆ ANNÆ, & Auguſtiſſimi REGIS GEORGII Inaugurationem.

CUM Suus exanimem Populus ploraret *Eliſam*,
Poſceret & Fletus rapta *Maria* pares;
Utraque, pro factis æquam ſortita Camœnam,
Attigit æthereas non ſine Vate Domos.
At quæ nunc audax volitare per ardua Famam,
ANNA, Tuam poterit Muſa per aſtra ſequi?
Ecquis erit, qui Bella ſibi deſcribere ſumet,
Quæ jam Fœmineâ vidimus acta Manu?
Ecquis, qui junctas æterno Fœdere Gentes,
Otiaque æterno carmine digna, canet?
O! quæ Centenis Linguis ornare ſolebas
Exequias Regum, Regibus orta Domus;
Inſpires mœſtam ſublimi Carmine Pubem,
Sume Lyram *Flacci*, *Virgilii*que Tubam.
Sic Tibi *Cecropiæ* ſurgant ad Sydera turres,
Et recidiva ornet mœnia priſcus Honos.
*Tu*que adeò Fautrix rerum, *Regina*, mearum,
Excipe, quos triſtis fert Elegeia modos.

Dum

Dum *Tibi* Vita fuit, quæ non *Ego* munera cepi?
Quàm dolet hæc Cineri Dona referre Tuo!
O Decus, O læti divinæ frontis Honores!
Quæ Mihi non oculis eximet ulla dies.
Sed Pietas, ſed priſca Fides, animoque recurſat
Perpetuus veræ Relligionis Amor.
Ut memini, quoties inopum *Tibi* Vota ferebam,
Quam blandâ Noſtras ceperis aure Preces!
Aurea de pleno manavit Copia cornu,
Donaque cum peterem plurima, plura tuli.
Sæva adeò Fortuna, & lætis invida rebus,
Muneribus didicit mitior eſſe Tuis.
O ſi, quæ Limen ſubiit Regale, tuliſſet
Non adeò celerem Mors inopina gradum;
Sit Mihi fas Promiſſa loqui, tum Dona Camœnæ
Non parva acciperent, O *Rhedycina*, Tuæ.
Quas Tu arces, veneranda Parens, Quæ mœnia, Natis
Aſpiceres olim commemoranda Tuis!
Ut *Peckwaterii*, veterem indignata Ruinam,
Surgeret auſpiciis Area læta novis!
Heu! Spectator adhuc Opera imperfecta tuetur,
Et Mala dum luget Publica, Noſtra dolet.
Quis *Britonum* lapſis poterit ſuccurrere rebus?
Imperium terræ ponere, Jura mari?
Quis raptam patriis referet Virtutibus ANNAM?
Afflictis parilem Quis feret æquus opem?

Tu, Cui, prospiciens tantos Regina dolores,
Tradidit Imperio Sceptra gerenda pari;
Adsis O! nostrisque favens allabere terris,
Et jubeas populo lætiùs ire dies.
Te poscunt Proceres, & Patrum Sanctior Ordo,
Te Tutelarem turba *Britanna* Ducem.
Et si quando graves Curas, Strepitusque relinquens,
Pieriis Animum vis recreare jugis;
Tum meliùs cernes, quæcunque reliquerit ANNA
Hic etiam, Manibus perficienda Tuis.
Tum, quanto *Domus hæc* ANNAM veneretur Honore,
Ostendet meliùs, quem *Tibi* solvet, Honor.]

Georgius Episcopus Bristolienſis,
Ecclesiæ Christi Decanus,
Serenissimo Regi ab Eleemosynis.

Senatus

Senatus Britannicus.

PAlladis armatæ fremitu, Bellique ruinis,
Turbineque ingrato, ſatis intonuêre *Theatra*;
Et tetricas dudum vexârunt Prælia Muſas.
Pompa ſubit melior, dum ſacra Silentia Pacis
Aonidas mulcent, dum mollior Aura ſerenat
Et Vatis numeros, & Militis ora Togati.
Quis Labor æternet, quæ Vox arguta Sororum
Fulgentem Annalûm ſeriem, vel magna referre
Geſta Patrum incipiat, Procerumque Equitumque Curules,
Et primos longa Heroum de Stirpe *Britannos*?
Faſtos, ANNA, Tui Imperii, & ſocialia Jura
Nulla Dies temeret; nectant Connubia Gentes
Haud inceſta, tuos Tibi dum, *Caledonia*, Natos
Angligenis miſcere licet, minus aſpera Corda,
Nec veterem confeſſa Fidem; Communia Sceptra
ANNA regat, junctoſque æterno Fœdere Patres;
Quales, *Adriaci* pulcherrima Gloria *Nerei*,
Urbs longe ſtupeat, Faſtum licet induat omnem
Purpureum, & famulis jactantior imperet undis:
Nec talis Trabeata Cohors confluxit in Arcem
Tarpeiam, Proceres quoties Cauſa alta popoſcit

Incertos *Latii* Fines, fragileſque Penates
Tutari, non ſi *Bruti*, Ultoriſve *Camilli*
Oſtentet facta, aut Divini jura *Catonis*.
Concilio è tanto immenſi Compendia Mundi
Fingimus; hinc Belli Motus, & Fata ſecunda
Vidimus Armorum; Magna hinc Conſulta manebant
Urbeſque Genteſque graves, ſeu mœſta timere
Excidia, aut dubiæ Solatia quærere Sorti.
Pacifici Heroes! Vos O fidiſſima Genti
Præſidia! Audaces Sanctis ſuccurrere Rebus!
Queis primum Pietatis Honos, pretioſaque Cura,
Relligio, tetigit Corda, ingentûmque Laborum
Pulchra Rudimenta, & fauſti dedit Omina Sæcli;
Ut Famæ Veſtræ, & *Pacis* Monumenta perennis
Undique conſurgunt! Divinæ exordia Pompæ,
Infantes & adhuc Moles, mox Templa futura
Vertice multiplici, caſtaque nitentia Fronte,
Ut profert *Auguſta*! Sacrato ut Marmore cultum,
Turrigerumque Caput plaudentibus inſerit Aſtris!
Nec puros *Britonum* Ritus Pia turbet *Erinnys*;
Quin late ſua Fana labantia lugeat Error
Lubricus, & caſſi nutantes Numinis Aras.
Jam nunc, ſi quando, arridet gratiſſima Plebi
Libertas, qualiſque Tuos decet, ANNA, *Britannos*,
Læta, modeſta; Sacri ſi unquam Decreta Senatûs,
Si Populi Jura & Sceptri inviolabilis Ordo

Firmari

Firmari poſſint, jam nunc firmata fuerunt.
Vobis Res ſalvas, defenſaque Jura, *Quirites*,
Plaudite, nec pigeat læta effudiſſe Tributa,
Dum non Plebeiis turgent Æraria Damnis.
Sin aliquis Patriam venalem prodidit Auri
Infami quæſtu, ſeu Martis perfidus Author
Lubrica in ambigua ſuſpendit Prælia lance:
Fallendi nec mille Modi, nec mille Figuræ
Defendunt multum vafra ſub nube latentem
Artificem Scelerum; ardentis delecta Juventæ
Vis agit, exploratque Dolos ſociata ſagacis
Angligenæ, atque indefeſſi Solertia *Scoti*.
Hi ſunt, qui cæcas Fraudis reſerare Latebras
Sufficiunt, Patriaque procul depellere Peſtem
Undique collectam, &, Vulgus miſerabile, *Rheni*
Triſtes Exuvias; rident felicius Arva
Nunc propriam Cererem, & *Britonum* teſtata labores.
Quin Strepitu inſano, & falſis terroribus acti,
Lucro ne metuant Cives, neve anxius undis
Navita diffidat, maturæ meſſe feraci
Diteſcens Lamnæ, redolenti pondere Frugum.
Tu reparas, *Harlæe*, avidi Diſpendia Belli
Providus, & facis *Auſtrali* Commercia *Mundo*;
Sors olim hinc melior *Britonas* deducet, amicos
Per Fluctus, rariſque horrentia Saxa periclis,
Perque ſuum Oceanum, extremum quacunque ſub Orbem

Concoquit auriferam Solis Vicinia Glebam;
Dum Notus, innocuo turgeſcens flamine, Claſſis
Inſolitæ aſpirat velis, ſubjecta laceſſunt
Æquora, & intrepidi luſtrant nova Sydera, Nautæ.
At Vobis Proceres, ſuperat pars Maxima Curæ
Lanigerum Genus excoluiſſe, & læta Bidentûm,
Munera; dum Pecudes villoſa Superbia veſtit
Pulchrius, *Heſperio* properabit Murice tingi
Vellus, idem *Britoni* Decus, & Velamen *Ibero*.
Hinc opus, hinc Vobis lucrum ſperate, Coloni;
Lanificas Gazas magna mercede rependet
Aureus ille *Tagus*, non fallax unda Metalli,
Jam nec Opes fictas pretioſo fundet ab Alveo.
Gallia multivagæ Cædis, nimiique Cruoris
Conſcia, bellorum ſtrages ſarcire laborat,
Frugeſque & Merces, fœcunda Piacula, ſolvit.
Uvarum felix, & Nutrix alma *Lyæi*
Immitem accelerat Fructum, variatque colore
Purpureo; Uva, Patres, veſtrum turgeſcit in Uſum
Quælibet, & *Britonum* petit ambitioſius Ora.
Ut Cætu auguſto, & numeroſo Vindice cincta,
Ut Solii ſecura, Patres REGINA ſalutat,
Blanda Oculos, almæque potens dulcedine Vocis
Dat *Pacem*, & ſocios Populo *Dea* fundit Honores,
Dum Legum Obſequio, queis præſidet Ipſa, ſuperbit!
Se fidi agglomerant Proceres, fremituque ſecundo,

Aſſen-

Aſſenſuque pio excipiunt ANNÆque Deûmque
Munera.
Quis tamen in *Cathedra*, illuſtri cingente Corona,
Momenta expendit Legum, facundaque Bella
Dirigit Eloquio, pacataque Pectora mulcet?
Nempe Tuum exultans, *Rhedycina*, agnoſcis Alumnum;
Quis Vultus erectus Honos! Quæ Frontis apertæ
Gratia! Vt affulget Virtutis Simplicis Ardor!
Aonii Cives, juvet Hoc adſcribere Faſtis
Perpetuum, & doctis Annalibus addere, Nomen;
Icta Viri eximii Meritis, Studioque fideli,
Curia ſubmittat parili cum Laude renatos
Bromleio Faſces: Succedat clarior Hæres
Ipſe ſuis Trabeis, Muſarum & Regna quieta
Tutetur Vindex, quas ornat Civis, *Athenas*.

Edv. Liſle è Coll. Magd.
Sup. Ord. Commenſ.

In

In Obitum Sereniſſimæ REGINÆ ANNÆ, & Auguſtiſſimi REGIS GEORGII Inaugurationem.

Ad Regem.

ILluſtris Heros, conſiliis potens,
Invicte bello, Annalibus obruens
Famam laborantem, at dolentes
Imperio recreans *Britannos*:
Pauliſper ægris, *Maxime Principum*,
Ignoſce Muſis, & patiens Tuos
Pendere permittas Triumphos:
Dum Pietas ſtudioſa Vatum
Cœleſtis ANNÆ Regia Funera
Urget querelis; dum gemit *Anglia*
Raptos amores, & Suorum
Delicias nimiùm fugaces.
Parcas roganti: *Tu* meliùs memor
Divæ recentis, *Tu* generoſior
Hortaris ultrò lacrymosâ
Exequias decorare Pompâ.

Ultrò

Ultrò revolvis, *Pacificæ* ſequax
ANNÆ, quid *Illi* debeat Arbitræ
Tranquillus Orbis, *Tu*que ſiccus
Ingrediens tria regna Victor.
Debemus ANNÆ, quòd venientibus
Te, REX, Tuiſque, horroris honoribus
Mars adſit inſons, ſplendeantque
Enſibus haud madidis Cohortes:
Quòd *Tu* phaſelis dum *Thameſin* premis,
Optate, ſolo Fulmina Gaudio
Tormenta mittant, & Cruoris
Innocuos jaculentur Ignes.
Dudum *Illa* firmo fœdere proprios
Strinxit *Britannos*; ulteriùs Pia
Dein Regna conjunxit remota:
Sic chalybem rapiens ſequacem
Magnes, propinquas agglomerat priùs
Lamnas metalli; mox aliæ additæ
Hærent, & indiſcreta pendet
Perpetuæ ſeries Catenæ.
His, Fama, reple buccinam, & æream
Intende vocem; non regionibus
Audita ſolùm, quas jacentes
Sub gelido videt axe *Phœbus*.
Quà miſta nuper fervere prælia
Flebant coloni, nunc vaga ſanguine

Nec *Mosa* tardatur, nec ingens
Purpureas rotat *Ister* undas;
Prærupta tantùm mœnia, & horridæ
Extant Ruinæ, saxaque dirutis
Hiulca muris, luctuosi
Dira nimis Monumenta Belli:
Sed nota terris, Imperio additis
Potentis ANNÆ, quas modò Pax dedit
Recèns *Britannas*, divitique
Oceanus lavat *Indus* orbe.
Frustrà reluctans infremuit Furor;
Se tota in ANNAM fessa laboribus
Devolvit *Europa*, & reclines
In Dominam siluêre Gentes.
Quin mox reclamat Turba protervior;
Et sævientûm murmura Civium
Pacem recusant. Heu furorem!
Heu populum malè pervicacem,
Sibique iniquum, atque indocilem pati
Divos faventes! Sed querimoniis
Quò, Musa, pergis? Parce lævo
Gaudia contemerare Luctu:
Dum Pace rident Omnia, dum novis
Britannâ Tellus floret honoribus;
Tuisque læves, Magne GEORGI,
Imperiis aditus patescunt:

Eheu!

Eheu! Ovantes quis ſubitus tremor
Invadit? ANNA angoribus ultimis
Singultat, & Sacræ relinquit
Exuvias Animæ cadaver.
Heu nuda Virtus! Heu Pietas! Fides
Antiqua! Simplex, caſtaque Veritas!
Te, mitis ANNÆ nuda Virtus,
Occiduam querimur relicti.
Fati laborat mole *Britannia*,
Inſana Inſtu; & deficit, impotens
Doloris. O! adſit gementes
GEORGIUS exhilerans Camœnas.
Audit vocantes Parca benignior;
Et lætiores volvier ordines
Promittit annorum; beatas
Dum Superûm tenet ANNA ſedes:
Dum Sceptra torquet Regia jam Domus
Felix Nepotum; dum reſonat tubâ
Divam STUARTORUM Supremam
Per memores pia Fama faſtos.

J. Trapp A. M. Coll. Wadh. Soc.
Poëtices Prælector Publicus.

Preli

Preli Academici Immunitas.

D. AUguſtas *Sheldoni* Arces, habitataque Muſis
Atria, ſuſpenſaſque trabes, pictumque Lacunar,
Sæpe Poetarum cecinit Labor; Æmula cœlo
Mœnia *Bodlæi*, atque *Aſhmoli* Rara ſupellex,
Omnia jam vulgata: vocant Nova penſa Camœnas
Oxonias, ævo non exaudita priori.

C. Noſtin' quæ nova narrat? an huc Elephaſve Leove
Advehitur, Vituluſve biceps, ſpectacula Regum
Digna oculis? (*H.*) An fors *Rheni* trans oſtia Pugnam
Commemorat, *Celtas* inter torvoſque *Sicambros*?

D. Nil, Juvenes, nil horum agitur: mihi nec (tua (ad *C.*) [Monſtra,
Nec tua (ad *H.*) Bella placent; me docti pulchra *Lycei*
Delectant Spatia, & noſtris Spes addita Muſis.

Cernite, ut aerium caput inter nubila condit
Literulis ſacrata Domus, ſpecioſa columnis
Ritu diſpoſitis juſto, patuliſque feneſtris
Phœbææ excipiens radiantem lampadis ignem.
Intus mille Typi, Cellaſque hinc inde locatas
Centum Capſæ ornant, Armamentaria Preli.
Quare agite, O Socii, totas impendite vires
Muſarum ſtudiis, doctos genus omne libellos
Fas ære exiguo conquirere, libera Vobis

Ad

Ad Famam, faciliſque via eſt; jubet ANNA Tributo
Exempta *Oxonidis* pulchre Exemplaria cudi,
Immuneſque fovet Dea Vectigalibus Artes.

H. Parcius hæc, bone Vir! Certe nil tale fatetur
Bibliopola *Tryphon*, cum Creditor oſtia pulſat
Primo mane, ferens Chartam, Nummoſque repoſcens:
Improbus ille urget precibuſque miniſque, nec unquam
Aut minuit Pretium, aut Solvendi prorogat horam.

C. Scilicet iſtud aves? pretio ut leviore parentur
Scalpellum, talami, atramentum, charta, libelli,
Frivola Merx? Noſtris cum decreviſſe Tabellis
Vix Aſſem experior, quoties ſua [illegible]
Exigit, aut rotulam Sartor fert ſeſquipedalem.

H. Artibus ecquis Honos, ecqua Indulgentia? cum Te,
Seu fidus Populi Cuſtos, *Cenſor*que, *Britanni*,
Seu *Neſtor* dici mavis, cum Te optime Scriptor,
Octavo quadrante minor non poſſidet Emptor.
Tempus erat, cum Te pueri innuptæque puellæ,
Inter matutina ſedentes pocula, mixtim
Dimidio legerent Pretio. (*C.*) Fuit inclyta quondam
Gloria *Roperi*, gnari vexare Rebelles,
Infidoſque greges; tamen hunc, ſi rite recordor,
Tot ſalibus pollentem, unus mihi præbuit aſſis.

D. O Hominum ignaræ mentes, quas ſplendida rerum
Delectat farrago, & hiantis fabula vulgi!
Scilicet is Procerum Labor eſt? ea Cura Senatûs

Pectora

Pectora sollicitat, perituris parcere Nugis?
Majus Opus movêre Patres, genteſque remotas
Demeruere pio Officio. Jam quicquid *Idume*,
Tellus grata Deo, pluteis cuſtodit opertis,
Quicquid in occultis *Arabes* clauſere tabellis,
Annoſo deforme ſitu, prometur in auras,
Et noſtra *Eoi* exercebunt Prela Labores.
Nunc Genii quæcunque manet monumenta *Latini*,
Magnum *Auguſtæi* Decus ævi; aut *Græcia*, fandi
Prima Parens, priſcæ retinens veſtigia Famæ,
Si quid ſervat adhuc, ea transferet Omnia cellis
Oxonidum, tradetque Typis nitidula Juventus.
Artibus his Animum, totam huc advertite Mentem.

H. Artibus his? unde ergo ſciendum *Europa* tumultus
Quos moveat ſedetve; aut quid trux *Sarmata Turcis*,
Suecis Turca minax intentet? Et inſcius horum
Quid faciam? vel quo lepidos Sermone Sodales
Mulcebo calices inter, plaudente popina?

C. Unde Ego teſſerulis, aut pictis ludere chartis
Sperem, exin damno immunis? ſi duplice nummo
Chartula ſit venalis, & alea jacta fritillo
Quinis ſtet ſolidis? His Vectigalia demant
Mercibus, & quodvis Pretium ſuperaddere Libris
Pace mea pergant Proceres. (*H.*) Ego Diis Patribuſque
Angliacis habeo grates, quod amica *Dyero*
Detulerint ultro Suffragia, nec tua Scripta
Taxarint,

Taxarint, Vir magne, novo, ceu cætera, Sumptu.
Te ſine, nec nocturna coire ad Pocula Cives,
Nec garrire Senes. Tua Pagina miſſilis exit,
Nocte docens Equitem, quæ narrat mane Colonis.
C. Nil Mihi cum veſtris, Scriptorum turba, Libellis,
Seu *Graii*, *Latiive* fuant, nativa ſub Axe
Arctoo, *Occiduiſve* Plagis. Mihi nobilis Uvæ
Purpureæ Liquor, & Cerealia Pocula cordi;
Sat noſtræ valuere Preces, ſi *Gallica* tandem
Vina vehi aſpiciam *Thameſinum* impune per amnem:
Hæc menſis ſi Vina fluant, ſi libera Cenſu
Hordea tingantur lymphis, nihil amplius opto.
D. Vina ſua, & nitidos habeat ſibi *Gallia* Libros,
Quos *Stephani* ingenioſa manus, *Luparæa*que cudunt
Tecta, *Ludovico* florentes Auſpice Sedes.
Non opus *Oxonidis* aliunde Volumina paſſim
Quærere, & externos pluteis inferre Labores:
Nobis cuſa domi præſto Exemplaria, noſtræ
Artis Honos, vigili Cura, juſtoque Nitore
Culta, *Palatinus* quibus exultaret *Apollo*.
H. Non *Stephani* Curam, caſtigataſve requiro
Plantini Tabulas; nil Ductus Literularum
Exactos moror, aut immunem Erroribus *Aldum*.
Sit licet Exemplar vitiis imitabile, non me
Offendunt centum mendæ, modo *Turcica* pellis
Adſit, & à tergo auratus mihi fulgeat Author.

C. Et

C. Et Me Muſæi multo ſpectabilis auro
Ornamenta juvant; mea circum ſcrinia ſplendent
Mille Libri, ſervantque ſuas juſto ordine Claſſes.
Hinc Oratores, Roſtri Decus, inde Poetæ,
Deliciæ Muſarum, atque, ingens turba, Sophiſtæ.

H. O Hominis durum os! Tu Rhetoras, atque Sophiſtas,
Tu doctos Vates, *Phœbæa*que Munera jactas,
Nec ſtudio Citharæ, nec Muſæ deditus ulli?

C. Sunt Mihi, quæ præſens, quæ poſtera diliget ætas,
Nomina Scriptorum; ſed nec mihi Bibliopola
Vendidit ære dato, excuditve Typographus; omnes
Hos bene fallaci deſcripſit arundine Pictor.

D. O quam culta Domus! Domino quam digna ſupellex!
At non in noſtris tituli mendacis honores
Proſtant liminibus, vacua neque ludimur umbra:
Nos vera oblectant, fucoque carentia Scripta.
Induit en! priſcum, cœlo plaudente, Nitorem
Divinum *Clementis* Opus, quod læta *Canopi*
Excipiet terra, & ſeptemplicis Accola *Nili*.
Tuque adeo, *Abramidum* qui Bella & Fata perenni
Mandas Hiſtoriæ, Tu qui *Judæa* recenſes
Acta, ſagax Author, noſtris limatior exis
Porticibus, *Solymæ* Genti, Temploque ſuperſtes.

H. Scilicet iſtud Opus coemat *Judæus Apella*,
Non Ego; namque mihi *Septem* ſuper orbe potentum
Facta placent *Equitum*, qui Monſtra horrenda, Gigantesque

Impaſ

Impasti domuere; & Tu, Spolia ampla Draconis
Indutus, Princeps turmæ, fortissime *Georgi*,
Angliacæ Gentis per secla novissima Custos.

C. O Ego, si Titulo forsan donatus Equestri,
Arthuri assideam dapibus, Mensæque Rotundæ,
Despicerem, dum terga boum fumantia mando,
Socraticas epulas, compotoremque *Platonem*.

H. Ergo erit ille dies? cum Par prænobile Fratrum
Durfeius, *Tatusque*, revincti tempora Lauro,
Lectori leviora ferent Impendia Vates.
Cum *Pax* mille Lyris cantata, Epicæque Poesis
Majestate nitens, parvi venalis emetur.

C. Ne Rhythmo in triviis cantent impune Poetæ,
Judice me, nec *Pax* regnis, neque Fœdera sunto.

D. Ignibus hæc tenebrisve. At si nervosa *Catonem*
Pagina quæ tradit Scenæ, feliciter audax,
Prodeat immunis Censu, nil respuo. Non tu,
Magne Poeta, humiles inter numerabere Vates,
Quos hodierna dies parit, obluctante *Minerva*.
Altius insurgit Tua Musa, atque æmula *Graiis*
*Romanis*que nitet, deciesque audita placebit.

C. Vidi ego, *Romana* cum jam Gravitate verendus
Ingrederetur atrox Scenam *Cato*, cum sibi Lethum
Conscierit torvus, robustaque pectora ferro
Nudarit; frustra prohibent, fidum agmen, Amici,
Et moritura super crudeli Vulnere *Roma*.

Intus

Intus agit ſtimulos, Animumque incendit honeſtum
Libertatis Amor, Lethoque interrita Virtus.

H. Vidi ego clamoſi moderantem fræna Theatri
Te, *Britonum* Cenſor, Specioſaque Dicta notantem,
Et Plauſum regere, & turbæ dare Jura ſequaci.

C. Huic uni forſan potui concedere Vati
Cenſibus abſolvi; reliquis indico Poetis
Perpetuum Bellum. (*H.*) Saltem ſis mitior Hoſtis.
Verſibus his, & parce tuæ noſtræque Camœnæ.
Hanc veniam *Oxonii* indulget provida Muſis
Curia, Conſultique Patres; nec reſpuit ANNA
Officium tenue, & levium Conamina Vatum.

C. Demite & his Muſis, Me non renuente, Tributum,
Si libeat; ſed quis tam grati Muneris Author,
Dicite qui noſtis; nam Me Tua Gloria tangit,
Chara parens *Rhedycina*, nec ad Penetralia Sacra
Lætior acceſſit quiſquam, nec amantior Hoſpes.

D. Hæc, Juvenes, pia Dona, hæc Indulgentia Veſtro
Debita *Bromleio*: Vos O! celebrate potentis
Eloquii Vires, votivaque Carmina pangat
Muſarum Domus, & charum reſonantia Nomen
Aonios iterent Plauſus *Sheldonia* Templa.

H. Nec Te, fida meæ nuper Tutela Juventæ,
Sancte Pater, quo jam *Roffenſis* Mitra ſuperbit,
Immemor Officii reticebit Muſa, Typorum
Fautorem *Oxonidum*, Columenque Decuſque Camœnæ.

Tu

Tu cœpto aſpirans Operi, Conſulta Senatûs
Rite ſecundaſti nobis felicia; ſemper
Muſarum memor, & ſemper memorandus ab Illis.
C. Sed nec Ego Citharæ tam averſus Cantibus, ut non
Te, Vir magne, tuumque ſonent mea Barbita Nomen.
D. Bodlæi gaudete Lares, Laquearia totos
Expandant jam veſtra Sinus, Gremioque capaci
Excipiant plenis congeſta Volumina Thecis.
Veſtris ſtructa novo parat addere Mœnia ritu
Porticibus, Medicam callens magis omnibus unus
Artem *Ratclivius*; veteris memor Ille Parentis
Æternum hic ſtatuet Monumentum & Pignus Amoris.

Recitârunt in Theatro, { *Henricus Dawney*, Hon. D. Vice-Com. de Down fil. nat. minor, ad Menſ. D. Comm. *Jacobus Hamilton*, Arm. fil. Sup. Ord. Commenſ. *Jacobus Cecil*, Arm. fil. Sup. Ord. Commenſ. } ex Æd. Ch.

In Obitum Sereniſſimæ REGINÆ ANNÆ, & Auguſtiſſimi REGIS GEORGII Inaugurationem.

QUales ab imo pectore *Dardani*
Fudêre Fletus, cum periit ſimul
Gens omnis, & Regem peremptum,
Nox eadem, Patriamque vidit:
Sic interemptâ *Te*, O *Patriæ Parens*,
Magnæ *Stuartûm* Relliquiæ & Decus,
Per Rura, per Villas, per Urbes,
Ter gemuit viduata Tellus.
Mors tanta frangit robur & æs triplex
Mentis *Britannæ*, nunc refugit metu
Perculſus Heros, fletibuſque
Fœmineis Sibi poſcit ANNAM:
Te Virgo, charis orba Parentibus,
Experta Matrem, *Te* Vidua, unicum
Solatium, *Te*, Æger, levamen,
Et fragilis, Columen, Senecta.
Te ſemper urget flebilibus Modis
Camœna, Laudis fida Comes Tuæ,

Mittitque

Mittitque Virtutes per ævum
Omne pio *Rhedycina* Verſu.
Ergone Vultus ſimpliciter Bonus,
Et fronte caſtâ Virgineus pudor,
Dulciſque Majeſtas, & omnis
Oris honos, cineri redactus?
O quando formet prodiga Munerum
Natura Talem! dicite, *Charites*,
Et *Gratiæ*, pulchræ Sorores,
Quando aliam decoretis ANNAM!
At O! Quid ANNÆ Sceptra *Britannica*
Geſtâſſe prodeſt intrepidâ Manu?
Quid priſca Virtus? innocentis
Atque Animæ ſine labe Candor?
Fruſtrà fatigat Gens lacrymabilis
Cœlum Querelis; nil valeant Preces,
Nil Vota, nec Laurus repellit
Sacra *Jovi*, ſua, Mortis ictum.
O quàm doloſo credidit Omine
Infauſta Tellus, Pacificos dies
Albo notatos, abſque curis
Jam fluere, & ſine nube Soles!
At *Tu* reponis Mentibus anxiis
Spem, *Magne* GEORGI, Fataque pendula
Firmas *Britannis*, diſſipaſque
Sole novo Tenebras Doloris.

Quodcunque de *Te* Fama loquuta ſit,
Quodcunque Gens ſperaverit, altiùs
Virtus Tua aſſurgit, magiſque
Nos capiet propiore viſu.
En! *Albion* ad ſydera verticem
Tollit ſuperbum, nec ſibi ſufficit
Regnare victrici inter undas,
Et liquìdo dare Jura Mundo:
Sub Rege Tali non putet arduum
Terras remotas Imperio addere;
*Romæ*que calcare inſolentis
Sub pedibus *triplicem Coronam.*

Digby Cotes A. M. Coll. Omn. Anim. Soc.
& Univ. Orator Publicus.

Regina

Regina ad Divi Pauli.

DUM *Lodoicus* ovat victus, falsisque superbit
Exuviis, simulans spolia & mentita Trophæa,
Ambustasque rates, & fractos Marte Britannos,
Subjectumque armis geminum victricibus Orbem:
Tu Templo Regina accedis gratior Hospes,
Immeritas populo indignans prætendere palmas,
Nec vanis fallax illudis Numina votis,
Borbonidûm aspernata dolos, artesque nefandas.

Aspicis ut graditur lateri agglomerata Caterva,
Grande Satellitium Procerûm, Sanctique Senatûs
Instaurant Pompam, longusque extenditur Ordo:
Insolito ut micat igne Dies, & fulgurat Ostri
Purpura, scintillansque rubescit Gemmeus ardor!
Panditur interea foribus Domus alta recluſis
Adventante Deâ, & fragrantibus excipit Aris
Suppliciter Lætam: ingeminant *Pæana* Canentûm
Solennis Chorus, & plausu Tectum omne resultat.

Non paribus Delubra Deûm effulsere Trophæis
Post *Meroes* Stragem, fusasque per æquora Classes,
Cum Domito *Antonio*, *Cæsar*, Mundoque subacto,
Tempora rostratâ velans victricia lauro,

Solvit dona Jovi, & votum immortale ſacravit.
Sed neque Roma potens, armiſque aſperrima Tellus
Laudibus Angliacis certet, neve *Actia* Bella
Vigenſem exæquent pugnam, & Mavortia Facta.
En! video inſtratam turritis puppibus omnem
Fervere *Cantabriam*, piceiſque nigreſcere cœlum
Obductum flammis, tonitru dum Saxa tremiſcunt
Horrendo, inſuetoque agitatur turbine Nereus.
Hic quamvis hyeme æternâ, indigeniſque procellis
Vexatur mare, turgentique exæſtuat undâ,
Sævior immiſcet rabies, atque aſperat ira
Oceanum, & fundo ſpumantem evertit ab imo.
Nequicquam *Galli* fugientes littore Claſſem
Subducunt latebroſo, & ſecreti aggere Portûs
Conduntur: fruſtra vario munimine Portum
Obſeptum cingunt, rranſverſoque Obice claudunt,
Vallorumque moras, & ſtupea vincula nectunt,
Abjeteque intexunt ſpiſsâ, implexiſque catenis.
Fulmineam mortem, & nitratos deſuper imbres
Perrumpunt *Britones*, ratibuſque incendia ſpargunt.
Jam procul elucere fretum, atque ardeſcere fluctus,
Sanguineoque ſinu pretioſas ferre ruinas
Cernere erat: ſtridet liquefactis unda Metallis,
Irriguoque auro dives flaveſcit arena.
At duplicem Regina agnoſcis grata Triumphum,
Milite dum Lodoix fugitivo deſerit Urbes,

Malburium

Malburium horreſcens ruiturum in viſcera Regni,
Verſalioſque Lares fætos hoſtilibus armis.
Quin Tu, *Sancta Ædes*, cujus melioribus Arces
Jam cæptæ auſpiciis ſurgunt, mox ſæpius ANNAM
Marmoreo accipies gremio, & laquearibus aureis.
Capta tibi referet vexilla Britannica Pubes
Exultans, & multa Tholo fluitantia figet
Lilia, Navalique rigentes Ære Columnas,
Anglorum decus, & victi monumenta Tyranni.

Triſt. Conyers, Arm. Fil.
è Coll. Merton. Gen. Commenſ.

In Obitum Sereniſſimæ REGINÆ ANNÆ, & Auguſtiſſimi REGIS GEORGII Inaugurationem.

O! Diva *Clio*, cui liquidum Melos,
Lyramque *Phœbus*, cui dedit aureos
Moreſque, virtuteſque Regum
Perpetuo memorare cantu;
O! ſi recumbens ad tumulum vigil
ANNÆ, canoros præcipias modos,
Quales ab inviſo feruntur
Eurydicen rapuiſſe Fato,
Si non ſequentem reſpiceret miſer.
Poſt terga Vates; Numine qui Tuo
Plutona mulſit, & feroces
Eumenidum recreavit Angues.
An fallor? an me Diva ſciens lyræ
Audit vocantem! Et jàm videor nigras
Errare per Sedes, per Urnas,
Et veterum Monumenta Regum.
Heu! quanta Strages! quantaque Funera!
Videtis! En! Mors concutit horrida
Durum ligonem, ferreamque
Mille ſedens ſuper oſſa falcem.

Clavo

Clavo trabali nunc adamantinas
Fores recludit, & retegens ſacras
Urnas *Stuartîm*, ſolvit ora
Horribili metuenda riſu.
Non, ſi canoro blandiùs *Orpheo*
Sylvas morantem perculeris Lyram,
Aut Mortis eludes Triumphum, aut
Exanimem revocabis Umbram,
Quæ rore *Lethæo* ſemel occiput
Perfuſa, in auras non iterùm redit,
Sed ducit hîc oblivioſum
Inter Avos Atavoſque Somnum.
Jàm nunc Olivas, quas tulit Arbitra
Pacis, Cupreſſis funereis tegam,
Lauroſque, quas non Fulminantis
Tela, Meæ ferient ſagittæ.
Æterna nè ſpe concipias, monet
Eliſa, Cui non vel Pietas Sua,
Vel ulla Virtus ingruenti
Ferre moram potuit Senectæ.
En! hîc ſepultos, En! tibi *Caroli*
Manes! Quid Armis, quid juvat extero
Carere Bello, ſi cruentam
Fata domi exacuant Bipennem?
En! & jacentem in pulvere Filium!
Nec Quercus, umbrâ ſi ſemel aſperos

Fefellit ictus hoſpitali,
Uſque brevem Dominum tuetur.
Quin & juventas, & patrius vigor
Forti *Gloverno* proficiunt parùm,
Maria Quem juxta recumbit,
Spemque jubet reſecare longam.
Quouſque ſævo læta negotio,
Mors, inſolenti lætitiâ fremes?
Quouſque jactabis cadentûm
Relliquias, Spolia ampla, Regum?
Centum catenis claude adamantinas
Fores Sepulchri, deſine Regium
Sitire Sanguinem, cruento
Jàm nimiùm Saturata ludo.
Labantis & Spes & Decus Imperi
Diù ſuperſit GEORGIUS; Hoc rogo,
Duraſque Fatorum benignâ
Sorte vices iterùm rependo.
Quæ Cura Patrum, qui Procerum Labor
Illum auſpicatis ornet Honoribus,
Qualis Triumphus, quæ beati
Gaudia ſint, fremituſque Vulgi,
Deſcribet alter, qui calet Entheo
Ardore plenus; Quin Ego plurimo
Cantu fatigatamque luctu
Barbiton hoc Tumulo reponam.

Rich. Lyddell ex Æde Chriſti Sup. Ord. Com. Regnum

Regnum GALLIÆ à Philippo Renunciatum.

VOS, quibus *Europæ* fatum, *Occiduo*que ſub axe
Orbis amor cordi, qui juſto examine rerum
Eventus libratis, & æquo limite Metas
Figitis Imperiis; veſtro ſtant pendula Regna
Arbitrio, Terraſque ſuas, ſua Littora nôrunt:
Vos, quibus unamines coîêre in fœdera vires,
Ne res *Borbonidum*, Geminique potentia Sceptri
Creſcat in immenſum; ne fors volventibus annis
Gallo junctus *Iber* magnæ confinia terræ
Latius extendat, fruſtraque repagula ponant
Alpini juga montis, & interjecta *Pyrenæ*:
Non vos incaſſum pet tanta Negotia curæ
Expediunt, vacuuſve Labor; nunc Terminus æquis
Signatur ſpatiis, fineſque utrinque locati,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere *Gallus*.
Tandem parta quies, ſolioque *Philippus Ibero*
Securus potitur, Faſceſque coactus Avitos
Ejurat, *Lodoici* ANNÆque haud mollia juſſa.
Non metus, ut quondam, trepidantia corda *Philippi*
Concutit, *Heſperias* ne rurſum tendat in oras

Angli-

Angligena, & doleat verſis *Hiſpania* fatis.
Non iam *Madriti* ad muros hoſtilibus auſis
Fulminat, aut terret metuentem civibus urbem
Mordantus, *Britonum* Agmen agens, Ipſe Agminis inſtar;
Quin poſitis Orator adeſt *Suttonius* armis,
Prætenditque manu ramum felicis Olivæ.
Jam tuto *Adriacos* gazis onerata Triremis
Sulcabit fluctus, jam ſoſpes nauta *Peruvî*
Arva, auri fœcunda, alioque ſub axe calentes
Indorum terras, Tua Regna, *Philippe*, reviſet.
Tu late imperitans gemino Commercia mundo
Utilia inſtauras; Tu *Mexicana Britanno*
Vellere permutas Spolia, *Angliacaſque* carinas
Ferre jubes, quas amne *Tagus* contorquet, Arenas.
I, pete felici auſpicio potiora relictis
Sceptra, nec invideas dandum Diadema Nepoti.
Eſt tibi dives opum Tellus, lateque patentes
Campi, quos nunquam aut Oriens, aut Occiduus Sol
Deſtituit radiis; eſt dulci pampinus uva
Turgeſcens, pleniſque undans vindemia labris;
Sunt & ſydereæ Turres, centumque Columnæ
Ædibus aſſurgunt; non *Eſcuriale* Lacunar
Verſalæ exſuperant arces, *Lupareæve* Templa:
Hic felix requies, & non ignobilis otî
Gaudia; non ultra horrebis, *Catalaunia* turbas
Quas movet, & ſero agnoſcens tua *Barcino* Sceptra.

Tu

Tu, volvenda dies animum cum assuevit *Iberis*
Ritibus, incipies Patrios dediscere mores
Paulatim, Choreasque leves, quas *Gallia* Ludo
Dedita perpetuo docuit; mox Lentior ibis,
Hispana patiens cum Majestate moveri.
Sic quæ *Teutonicos Rheni* prope littora colles
Vestit felici pubescens palmite vitis,
Si *Lybiæ* ad campos, *Fortunati*que teporem
Transfertur *Nemoris*, jam luxuriante racemo
Protendit frondes, gratam potantibus umbram
Porriciens; mox uva insueto turgida Succo
Dulcescit sensim, priscique oblita Saporis,
Nativique Soli, meliorque propago parente,
Rheni vina austera, & * *Bacchi* despicit *Aram*.

---

* *Baccaracum* in *Germania* oppidum, vino generosissimo nobile. *Cluv.*

Tho. Archer Arm. fil. è Coll. Trin.
Sup. Ord. Commens.

In

In Obitum CLARISSIMI VIRI

JOHANNIS RADCLIFFE

M. D.

RADCLIVE, plectrum *Threïcium* Tibi
Movere conor, quo priùs Inferos
Lenibat *Orpheus*, & rapaci
Eurydicen revocabat Orco.
At triſtis Oræ Te ſemel incolam
Nulli reducent heu! Citharæ ſoni,
Plutona quamvis *Addiſonus*
Sollicitet minus audientem.
Novit Tyrannus, qualis ad Inferos
Acceſſit Hoſpes, qui toties necis
Tardabat alas imminentis
Non humili Medicus Triumpho.
Deſerta fermè regna *Proſerpinæ*,
Et otioſum viderat *Æacum*,
Umbraſque raras, Te Medente,
Elyſios penetrare lucos.

Quà

Quà nempe doctam cunque dabas opem,
Funus ſub ipſum cedit inefficax,
Et, pænè Victor, Mors remittit
Egregiæ ſpolia ampla Vitæ;
Formâ potentem ſeu Juvenem lues
Deducit atrox tempus in ultimum,
Nymphæque ſuſpirant, Amores
Heu! nimiùm celeres perire;
Seu Flamma dulces rumpere Nuptias
Tendit febrilis, vixque animam tenet.
Vir ipſe, vix Uxor caduco
Fida ſuper moritura Sponſo.
Securus Artis præſidio Tuæ
Æger nec æſtus, ſignaque Sirii
Fœcunda morbis, Africumve
Corporibus metuit nocentem,
Non Mortis ullum pertimuit gradum;
Mortale Corpus non tacito Phthiſis
Peredit Igni, non tumenti
Dirus Hydrops labefecit Undâ.
Te ſic Medendi munere Nobilem
Effinxit ardor vividus Ingenî,
Te mentis audax vis ſagaci
Conſilio bene temperata;
Te Cura Morbum tollere pertinax,
Rerumque prudens Experientia.

Sed

Sed dum laboras recreare
Inſtabiles Hominum ruinas;
Dum perſpicaci lumine conſpicis
Cauſas latentes & vitia & modos,
Viceſque Morborum, neciſque
Inſidias retegis doloſæ;
Ægros mederi Te malè ſedulum
Incauta lethi vis ſubiti rapit,
Et, Te perempto, impunè Parcæ
Exitium meditantur Orbi.
Non ſic peribit pars melior Tui,
Pecuniarum Qui benè prodigus
Sepulchra moliris ſuperbis
Pyramidum Potiora Saxis.
Non Marmor æquè, non Ebur *Indicum*,
Aurumve ſpirans, Nomen in ultimum
Demittat ævum, ut quæ dicâſti
Caſtaliæ pia dona Turbæ.
Hinc dum Triumphos pectine concinet,
Viroſque fortes inſeret Ætheri,
Heroas inter Te Deoſque
Sumet ovans celebrare Muſa.
Dum multa Peſtis fraude *Promethei*
Deducta cœlo, dum Febrium cohors
Vexabit Orbem, Tu Medenti,
Tu pariter memorandus Ægro.

At Te Beatum non Medicus labor
Ultra fatigat; Te Nemori Æacus
Læto reponit, quà maligno
Depositis super Orbe curis,
Frui vicissim, quam dederas Tuis,
Salute semper Te jubet, & leves
Errare per Lucos Piorum
Perpetuâ viridem Juventâ.

Tho. Machen. Fiddes A. M.
è Coll. Reg.

Novarum

Novarum Rerum Scriptores cum Bello conticentes.

T. ASpera dum positis pacantur secula Bellis,
Lætitiaque fremunt Urbes, effusaque miscent
Gaudia Plebs Procereſque; age, dic, quæ Causa serenos
Contristat Vultus, Animumque exterret Imago?
Num pelago desævit Hyems, orisque remotis
Fœtas Rumorum Tabulas male detinet Euri
Vis ingrata? an Te tangunt Impendia *Chartis*
Impressa *Historicis*? nam Nos, nisi fallor Amice,
Fraternis animis Artem exercemus eandem,
Ambo Scriptores, ambo Novitatis amantes.
Scribimus indocti doctique; & ubique locorum
Quicquid agunt homines, nostræ monuere *Tabellæ*.

C. Est, fateor, Studii ratio Communis utrique,
Et Diversa tamen: Tu miscens seria ludo,
Spes, & vota hominum, luctusque, irasque, timoresque
Exagitas *Britonum* Censor: Tibi Numina mille,
Mille placendi Artes, mille Argumenta libellis.
Ast Ego contractis calamis nil molior ultra
Rem populi, *Europæque* statum; & cessantibus Armis,
Quam metuo, ne tanta premat *Novitatis* Egestas,
Raraque Materies, ut toto vix quater anno
Membranas poscam? (*T.*) Satis O! Tua Pagina bellis
Narrandis assuevit, & acri horrentia pilo Ag-

Agmina commisit; sat dudum Stragis Acervos
Ingentes tua Dextra dedit, fuditque Cohortes
Sævior Ense Stylus: solito Tu more modoque
Æternum scribes, nusquam pugnata recensens
Prælia. (*C.*) Tu largam, fateor, Rex Magne *Gothorum*,
Materiem præbes, vacuæ succurrere Chartæ
Præsens sæpe, Armis seu per glacialia tendis
Frigora *Sauromatum*, indigno seu Carcere clausus
Bendaræ, Patriam luges inglorius Exul.

T. Si tamen *Arctoi* coeant in fœdera Reges,
*Vandalicis*que iterum reddatur *Carolus* oris;
I, geminas describe Acies, & in aere Turmas
Frontibus adversis concurrere; sentiat Axis
Armorum sonitum, & trepidet Cœlum omne Tumultu.

C. Non temnenda mones. At cum *Pax* aurea Terris
Indulget Belli Requiem, cur militet Æther?
Rectius *Ægypti* sævire feretur in agris
Exitiosa Lues, liventi corpora tabo
Inficiens, Medica Arte, herbaque potentior omni.

T. Quid prohibet lugubre rubentem accendere Stellam,
Syrmate terrificam longo, Caudaque minaci?

C. Stant contra Astrologi, cœlo bene conscia turba,
*Hevelius*que *Tycho*que; & Tu, non infima gentis
Gloria fatidicæ, quem *Lusitanica* tellus,
*Romanus*que Pater devoto tradidit Igni,
Bickerstaffe ingens. (*T.*) At fors impune stupendo
Corpore

Corpore Balænam *Thamesino* in gurgite nantem
Narrabis primus, dirum Mortalibus Omen.

C. Scilicet has mallem per vulgum spargere Nugas
Innocue mendax, male quam Dissuasor Honesti
Audire, & vestras sectari turpiter Artes,
Scriptorum genus infidum, qui temnere Regum
Imperia, & sacri Jus inviolabile Sceptri
Effrænes audetis, inusto stigmate frontem
Signandi, & curtas digni truncarier aures.

T. Me, seu Martis opus gliscat, seu mollia *Pacis*
Otia agat Populus, Me non prælarga *Novorum*
Copia destituet, dum cæco insanit Amore
Lascivus Juvenis, dum delirantia fundit
Verba Senex; pectit dum crinem, & mane ter uno
Mutat *Cotta* Togam, *Bavius*que Poemata pangit
Insulsa, & solido gaudes, *Bollane*, Cerebro.

C. Quin memini, bone Vir, cum, Te scribente, revolvi
Res gestas Regumque Ducumque, atque oppida bello
Diruta, & eversos acta testudine muros.
Sat memini, cum Te non obnitente, nefandum
Seditio extulerit caput; & furialibus ausis
Favit inæquali studio Tua Pagina, Censor.
Fors horum meminisse piget. (*T.*) Mea Charta, fideles
Usque dedit Monitus; Partes animosus in omnes
Distrinxi Calamum; nulli Censura pepercit
Culpæ, nec Vitium passa est impune vagari.

C. At

C. At nunc ille Animi ſenſum deferbeat Æſtus,
Et longo diſcat miteſcere *Neſtor* ab ævo.
Certe fortunatus in hoc, bona ſi tua noris,
Qui Mala nec *Pacis*, nec Belli Incommoda ſentis;
Dum gravia impreſſis Nos Vectigalia Chartis
Lugemus miſeri: Tibi cedit cura Typorum
Utilior, ſolvuntque Tibi tua Scripta Tributum.

T. Hæc olim. At nunc Me gravis Inclementia fati
Submovit, calamique inſana Licentia læſit.

C. Interea quam dura premit Fortuna Sodales?
Undique dura, *Novi*que & Nummi triſtis Egeſtas.

T. Quidni igitur *Phœbus* Pater, *Aoniæ*que Sorores
Subſidio veniant? I, *Pacis* amabile Donum
Verſu concelebra, placidoque fluentia rivo
Secula: fer *Domino* Carmen ſolenne, potentis
Et *Mecænatis* præſcribat Pagina Nomen.
Hinc Tibi certa Lucri ſpes, &, Præconia noſtra
Quid adhuc valeant, inter numerabere Vates.

C. Diſpeream, ſi vel Numeros vel Carmina norim.
Non mihi *Pieriis* ſopito Muſa ſub antris
Arriſit, Geniumve ſavens indulſit *Apollo*.
Me natum infauſto ſub ſydere, & in tenui re
Verſari ſors dira jubet. (*T.*) Si quid Mihi credis,
Quiſquis erit vitæ ſcribas color. Auſpice *Phœbo*
Quil opus, aut fuſis *Pindi* ſub fronde Camœnis:
Sufficit exactos ſeno pede ducere Cantus,

Con-

Concinnè Numerum Rhythmo claudente ſupremum.

C. Scilicet is Digiti labor. At cui tempore dextro
Heroi palpabo? Ego non ingentia Facta
Nobilium, aut Genus, & Proavos, & Stemmata novi.

T. Nomina ſi Tibi nota, ſat eſt. I, quemlibet Author
Delige Patronum, & fictis Virtutibus orna;
Sit bonus, & fortis, ſit fidus, amanſque Camœnæ,
Conſiliis multum pollens, animique benignus:
Hæ Tibi erunt Artes, hinc Præmia certa Laborum.

C. Non hæc immemori narras. Tibi Diique Deæque
Verum ob Conſilium donent bis *Neſtoris* annos.
Forſitan his olim monitis innixus, & uſu
Experiens, hoc more queam diteſcere; cum ſit
Rarus Honos, Virtuſque *Britannûm* averſa recedat.
At non mentita fama, artificique colore
Tempus eget: Jam priſca Fides, & inempta Potentûm
Splendiſcunt Merita. En! longo ſtant ordine circum
Atria Magnates, Decora & Tutamina Sceptri.
In medio REGINA, Illam nam plurima veſtit
Gloria, & auguſta Majeſtas Fronte renidens.
Quis non inſolitas accendi in Pectore Flammas
Perſentit Vates? Cui non in Carmina vires
Sufficiunt, ANNÆ Imperium, Moreſque benigni,
Parta Salus Populo, & melior *Pax* mille Triumphis?

Recitârunt in Theatro { *Tho. Joyner*, *Chriſtoph. Joyner*, } è Coll. Trin. Sup. Ord. Commenſ.

In

In Obitum Sereniſſimæ REGINÆ ANNÆ, & Auguſtiſſimi REGIS GEORGII Inaugurationem.

VIdeſne, *Clio*, quis Proceres Dolor,
Quis vulneravit corda *Quiritium*?
In plectra ceſſas? tange chordas,
Tange ſemel Tibi luctuoſas.
Olim ſolebas dicere Prælia,
ANNÆque Turmas pulvere ſordidas:
Quantoque ſublimis triumpho
Ibat Ovans mediam per Urbem.
Non *Illa* duxit luxuriâ diem,
Non *Illa* noctis tempora mollibus
Dedit choreis; nec Severas
Depoſuit ſuper urbe Curas.
Juvabat ANNAM Mœnia condere,
Aut conſulentem flectere Curiam:
Juvabat expedire Pubem
Angliacam per acuta belli.
Quid poſſit ANNÆ Cura ſagacior,
Teſtatur *Iſter* purpureo rubens
Cruore;

Cruore; testantur Trophæa,
Et celebres *Britonum* Triumphi.
Quin apta Paci, Fœdere calluit
Dissentientes jungere Principes;
Regumque novit temperare
Imperio facili furorem.
Quâ læta risit Pace *Britannia*?
Effusa vulgi Gaudia vidimus;
Cùm vix per obstantes catervas
Egit equos rutilumque currum
Regina; Patres vidimus ordine
Longo sequentes: Tum *Tibi* plausimus,
Multos triumphos, atque Vitam
Polliciti *Tibi* longiorem.
Ignara mens heu! nescìit exitus
Rerum latentes: occidis, occidis
Regina; promissos Triumphos,
Atque breves Titulos relinquens.
Jam triste Murmur, jam miserabiles
Vulgi Querelas audio? lentiùs
Incedit Agmen, flebilique
Officio comitatur Urnam.
Fusis madescit Regia lacrymis;
Tumente mœret *Thamesis* alveo:
Quin, *Angle*, tandem mitte Luctus,
Mitte supervacuas Querelas.

En!

En! Sceptra ſumit GEORGIUS aurea,
Genteſque fauſtis Auſpiciis regit:
Britanna tellus nunc ab Ipſo
Ducit opes animumque Damno.
Jam Civium ardor, rixaque mutua,
Jam conciderunt corda ferocia:
Nec diſſidentes jam *Britanni*
Ulteriùs meditantur iras.
Sic concitatis æquora fluctibus
Tumultuantur; mox caput erigit
Neptunus undis, & tumentes
Sternit aquas, rapidoſque ventos:
Ludit ſereno piſcis in æquore,
Suumque Cete, non ſine gaudio,
Regem fatentur: Ille ſtrati
Urget equos per aperta ponti.

Edv. Bertie Hon. *Jacobi Bertie* Fil. Nat. Sec.
ex Æde Chriſti Commenſ.

Dunquerca Deleta.

DIviſum Imperium Pelagi, dubiumque Tridentem
Tranſlatum ad *Morinos*, dudum doluere *Britanni*:
Ex quo *Dunquercam* pretioſo Fœdere *Gallus*
Addiderat regnis. Impune per æquora victor
Sæviit, illuſitque minaci inglorius Arce
Frendenti fruſtra *Britoni*, Divoſque roganti
Hoſtem, qui pugnet, mare nec detrectet Apertum.
Heu! quoties Nautam, rediens cum lætus ab *Indis*
Portubus, & caſus, & Tædia longa viarum,
Albos jam Scopulos & Litora nota reviſit,
Huc rapuere Hoſtes! Quos fudit pectore Queſtus,
Cum Spolia, ante oculos Alienis rapta puellis,
Auratas veſtes, & *Eoæ* munera Conchæ
Conſpiceret, Sponſis melius geſtanda *Britannis*?
Teutonicæ riſere Nurus: At Carcere iniquo
Ille Lares mœret patrios, Soleinque requirit.
Qualis Apes, ſuaves remeans cum plena Penates,
Fert onus Ambroſium, diſtentaque Nectare crura:
Hanc ſi forte ferox antro ſpeculetur Arachne,
Dira reluctantem per Propugnacula prædam
Raptat, & Hyblæis dapibus ſatiatur: At illam

Quid

Quid rutilæ heu! decorant Pennæ? Quid Aculeus armat?
Sternitur: & dulces moriens reminiſcitur Alveos.
Fatalem, ANNA, Tibi, qua ſæpe ſuperbiit, Urbem
Dat *Eodoix*: Tanto firmavit pignore Fœdus.
Naturæ eluſas leges, Artiſque triumphos
Ut ſtupuit *Britonum* pubes! ſeu Caſtra profundum
In Mare porrecta, & munimina longa videret;
Sive novum Pelagus mediis ferveſcere vicis
Cerneret, inque Foro pictas innare carinas.
Nunc juvat immenſas Moles, æquataque Cœlo
Metiri Caſtella oculis; nunc deſuper undas
Proſpicere eliſas, & inanes æquoris Iras.
At veteres Dominos læto clamore ſalutant
Longævi *Morinûm* Patres, cum mœnibus *Angla*
Signa vident fluere, & notos fulgere *Leones*.
Tu tamen, elatas quæ tollis ad æthera Turres,
Tu, *Dunquerca*, cades; ſpatium factura coacto
Æquori, & ad ſuetas patieris volvier Oras.
Audio, ut ingenti Pontus convulſa fragore
Saxa vorat, Monteſque avidis immiſcet Arenis.
EN! longas video ſtrages, moliſque ſuperbæ
Funditus everſæ latas fumare Ruinas.
Forſitan atque olim carpat ſuper Aggere ſomnos
Paſtor, ſulphureis condens armenta Cavernis:
Aut teneras viridi Munimine ſerpere Vites
Gaudeat, effractiſque rubeſcere mœnibus Uvas.

Jam, latuit quondam queis Martis dira ſupellex,
Explorant caveas Pueri, innuptæque Puellæ:
Jam juvat innocuos Enſes contingere dextra,
Telaque, & haud ultra ſimulantes Fulmina Glandes.
Vibrati Virgo ſtupet imperterrita Ferri
Fulgur; & à Gladio tremulos vix flectit ocellos.
Sic Te pulchra *Chloe*, (metuis tamen improba Amantem)
Dentibus avulſis, Anguem ſub veſte foventem
Sæpe furens vidi: Nunc Torquis circuit Ille
Collum, nunc cingit ſinuoſa Armilla Lacertum:
Subrides, radiante ſtola ſeu lubricus errat;
Sive, avidos melius quo Forma paſcat Ocellos,
Emicat in Gyros, maculoſaque corpora volvit.

Car. Shuckburgh Baronet fil.
è Coll. Reg. Sup. Ord. Com.

In

In Obitum CLARISSIMI VIRI

JOHANNIS RADCLIFFE

M. D.

O Longum ſeris deflenda nepotibus Umbra
RADCLIVI, cui, dum lumen vitale manebat,
Ipſe ſuas præſens Artes, uſumque medendi
Conceſſit *Phœbus*, ſucciſque potentibus ævum
Protrahere humanum, & tremulam fulcire Senectam;
En! Ego *Pæoniæ* quamvis pars infima turbæ,
Caſtalios feror ad fontes, atque ardua *Pindi*,
Inſuetum per iter; quo raptat Muſa, Tuique
Dulcis Amor: juvat aptandas decernere frondes
Dilecto Capiti, tumuloque inducere Lauros.
O *Britonum* direpta ſalus! *Te* fletibus urgent
Perpetuis, quotquot præſenti corpora morbo
Fracta trahunt, quotquot venturis caſibus ægri
Incertaſque vices metuunt, Parcaſque ſeveras.
Tu gnarus lenire omnem, quæcunque noceret
Humano Generi, peſtem; ſeu Tuſſis anhela
Pulmones quateret, ſeu turpiter ora notaret

Dira lues; Venis ſeu ſtaret inutilis humor,
Concretuſque Gelu, Vitium excoquis, inque Canali
Purior Electro properat decurrere ſanguis.
Quid miſer! arentes alte cui Flamma Medullas
Haurit, & inſinuans circum Præcordia Febris;
Quem vocet infelix, tacito cùm Pectore gliſcit
Ignis edax, & formoſos depaſcitur Artus?
Quis ferat Auxilium, tantoſque Salutifer olim
Compeſcat Motus, & amicos irriget Imbres?
O nimium felix, cui præbuit æquus *Apollo*
Scire Poteſtates Herbarum, & noxia Succis
Indigeat quêis quæque Lues, quos quæque recuſet!
Talis *Cous* erat, talis *Tu*, Prime Medentum
RADCLIVI, & quorum *Graii* meminêre Poetæ,
Chiron Phyllyrides, Aſclepiadeſque Machaon.

Has equidem ut poſſim rerum diſquirere cauſas,
Ipſe libens patiar turbatis greſſibus Alpes
Aërias tentare, Viris non hospita Saxa:
Non tamen omnino noſtros quod creſcat in uſus
Pigra negat regio, quin illic prodiga ſtirpes
Proferat, & triſtem pellentia Gramina Mortem.
Hinc mox digreſſus (liceat modo) littora viſam
Itala: Quam dulce eſt urbes atque arva tueri
Tot bellis memorata, & magnæ mœnia *Romæ*!
Hîc ubi ſe tardis devolvit vitreus undis
Mincius, in viridi projectus Margine ſertur

Virgilius

Virgilius ceciniſſe Duces: hîc clarus *Iapis*
Excoluit medicas *Phœbo* gratiſſimus Artes,
*Æneam*que gravi ſanavit vulnere læſum.

Interea *Rhedycina Tui* non immemor unquam
Marmoreo cineres lacrymans, ſacraſque Sepulchro
Relliquias condet, ſolenneſque ordine Pompas
Inſtituet, feſtoſque Dies; tum priſca Virorum
Nomina commemorans, quorum ſelicibus olim
Illa ſub Auſpiciis crevit, *Tibi* ſolvet Honores
Non ingrata pares, & *Te* numerabit in illis.

S. Dowglaſs, A. M.
Coll. Omn. Anim. Soc.

In Obitum CLARISSIMI VIRI

JOHANNIS RADCLIFFE

M. D.

FRuſtrà quot Herbas terra parens alit,
Fruſtrà ſalubres, quot Chymia exprimit,
Nòris liquores, non caducam
Arte queas revocare, vitam.
Quòd ſi domantem cuncta *Proſerpinam*
Uſus medendi, aut *Pæonius* labor
Fugare poſſent, non peritum
Phœbigenam, *Jove* fulminante,
Merſiſſet Orco dura neceſſitas.
Non grande *Coæ* Præſidium Scholæ
Vidiſſet umbras; Pharmacive
Rite ſciens *Phrygius Magiſter*.
Nec *Te*, *Britannûm* prime *Machaonum*,
Te fleret omnis *Caſtalidum* Chorus,
Verſumque lugubrem pararet
Egregiæ, leve munus, umbræ.

Retrò

Retrò fugaces ſed *Tibi Delius*
Donaret annos; ſed roſeo Salus
Vultu renidens, & Juventas,
Perpetuum renovaret ævum.
Quin ſacra tellus relliquias licèt
Servet repoſtas, non ſimul interit
Præclara Virtus, nec ſilenti
Splendidior ſeries laborum
Jacet Sepulchro; ſed ſpatium bonis
Extendit ultrà, & pulchra minantibus
Cœlum recludit, uſque pennâ
Fama volans metuente ſolvi.
RADCLIVE, vives tempus in ultimum,
Dum volvit undas *Iſis* amabiles;
Virente ripâ dum potentes
Exilient, medicamen, Herbæ.
Locante nam *Te*, *Cecropidum* domus,
Tuo dicatum limen *Apollini*,
Aſſurget olim; quâ decoro
Ordine *Socraticæ* tabellæ,
Arteſque centum, & dia Scientia,
Longùm niteſcent; quà decus *Atticis*
Perenne chartis, & *Latinæ*
Stabit honos, pretiumque Muſæ:
Damnoſa quæ non imminuet dies,
Non Barbarorum diluvies nova

Vaſtabit, occludentve cæcis
Raſa cohors, Monachi, latebris.
Nec ſi profanis arſerit ignibus
Regale tectum, nobile conditis
Intus libellis, quot coëmit
Largus opum *Ptolemæus* auctor;
Hæc ſorte tali mœnia concident,
Experta flammas; non temere hîc ſedet
Apollo Cuſtos, aut inani
Reſpicit Auſpicio *Camœnas*.
Ille & medentûm Spes juvenum minùs
Firmas benigno Numine fulciet,
Quaſcunque per terras ſciendi
Impulerit Generoſus Ardor.
Seu *Franca* tellus ridet amœnior,
Et ſplendor aulæ *Borboniæ*; juvat
Sive arva *Saturni* videre,
Et veteris decora alta *Romæ*:
Quoſcunque fines viſere geſtiant,
RADCLIVE, gratâ *Te* recinant lyrâ,
Tuaſque laudes; *Te*, reverſi,
In patriis imitentur oris.

Noel. Broxome, A. M.
Ædis Chriſti Alumnus.

In

In Obitum Sereniſſimæ REGINÆ ANNÆ, & Auguſtiſſimi REGIS GEORGII Inaugurationem.

AUguſtos ANNÆ cineres, atque ora ſepulchri
Cæſarei reſerata, (tuos, *Libitina*, triumpho)
Inque graves effuſa ſimul tria regna querelas,
Heu! triſtis memoro. Quod ſi mihi dexter *Apollo*
Annueret, tales ſi poſſem ducere verſus,
Quales *Virgilius Marcello* fudit, ubi altos
Expreſſit matri gemitus, planctuſque ciebat;
Nulla dies meritas Dilectæ Principis ævo
Eximeret Laudes: Fors & venientibus annis,
Forte aliquis noſtris non ſicco lumine chartis
Te leget, ANNA Parens, crudeli funere merſam;
Militiæque Tuos reputans Paciſque Labores,
Heu! queanam miſeros tot Numina volvere caſus
Angligenas voluêre? aut quæ tam flebilis ANNAM
Peſtis & ira Deûm vitiis rapiebat iniquam?
O Dolor, atque Decus, noſtrum! *Tibi* Sacra quotannis
Floreſque Lacrymaſque dabo, *Tibi* Munera Verſus
Parva feram, ſed quæ non Poſtera reſpuet ætas;

Hæc dicet, tepidiſque rigabit fletibus ora.
Interea tenui ſolamur arundine luctus
Ingentes, Superoſque omnes & Sydera mœſti
Ultro incuſamus crudelia, quod *Tibi* morbo
Nulla laboranti manus adfuit, ANNA, latentem
Avertens capiti peſtem, ſpargenſque per artus
Dictamni ſuccos, & odoriferam Panaceam.
Quin aliquis forſan, cui Mens Divinior, atque Os
Grandibus haud impar, narrat par tela, per ignes,
Auſpice *Te*, irrumpentem Anglum, penituſque remotas
Imperio adjunctas gentes; ut navita lucri
Securus celſa puppi ſecet æquor, utroſque
Sollicite explorans *Indos*; nunc Fœdera Reges
Ut coëant in læta, Tuumque hoſtilia Numen
Per *Te* compoſitis venerentur Regna Duellis.
Quis non ſuſpiret? cui pleno flumine ſalſæ
Non manent oculis guttæ? ſeu cum Tua Virtus
Maxima, ſive animo Divina recurrat Imago,
Et frontis mixtâ cum Majeſtate Venuſtas.
Te tamen in mediis, Princeps Auguſta, Triumphis,
Concelebrat *Jani* occluſam dum *Pieris* ædem,
Sæva rapit *Libitina*, Tuoſque abrumpit Honores.
O hominum ignaræ mentes! Nos fletibus ANNAM
Proſequimur nimis, & ſtudio decoramus inani
Tanquam infelicem, noſtrique doloris egentem:
Illa polo fruitur, patrioque incedit Olympo;

Et

Et nunc *Glovernum* fusis amplectitur ulnis
Oscula dans Puero Mater, vel rursus Amores
Longum intermissos renovat, Tibi, Maxime *Georgi*,
Respondens paribus curis, heu! nunc Tua Conjux.
Dii, quibus imperium est Pelagi, quorum æquora *Cæsar*
Navigat æratis tranans vada salsa carinis,
Si bonus *Æneas* præsenti Numine vestro
Ilium in *Italiam* vexit, sacrosque Penates,
Insignem Hunc Pietate Virum, Fatisque vocatum
Servate incolumem, nostrisque reponite terris:
Ipse manu curvam *Portumnus* in æquore navem
Impellat celeri cursu, pelagique tumentes
Candida sternat aquas Domino Maris *Amphitrite*.

Gul. Le Hunte A. B.
ex Æde Christi.

Res

Res Germana reſtituta.

Interlocutores, *Gallus*, *Germanus*, *Anglus*.

Gal. ERgo dies promiſſus adeſt, & debita Parcæ
Tempora complerunt. Tua nunc ſuper æthera late
Fama volat, *Lodoice*; Tuo ſub numine victrix
Gallia, ſolennes iterat pro more triumphos,
Dona recognoſcens Divum: Tibi protinus omnes
Addunt ſe comites, Tua cura haud ultima, Muſæ,
Intexuntque ſacros lauro *Permeſſide* crines.
G. Quænam hæc lætitiæ ſpecies? quinam iſte triumphus
Borbonidæ? (*A.*) Adverſo nimirum marte cohortes
Perdidit infelix: hinc læto carmine *Pæan*
Conſonat; ut pueri ſimulant effingere riſum,
Cum manus *Orbilii* & durus dolor offibus hæret.
Gal. Nos quibus *Aonias* artes, ſua munera, donat
Cynthius, adjectoſne Tuis dicamus *Iberos*
Faſcibus, Occiduique ultro ſpolia aurea mundi?
Anne ut *Teutonicis* exercitus intonet oris
Sequanus? ut ſævo concuſſæ fulmine belli

Deplumes

Deplumes trepident Aquilæ? ut *Rheni* gravis ira
Defluat, atque *Ister* tibi ſerviat omnibus undis?
G. Egregium vero vatem, verſuſque merentem
Laurea cui cingat crines, & quem ſuus Heros
Præficiat Muſis! (*A.*) Pellacem ut ſcilicet æquet
Boilôi calamum, & venales æmulus artes.
Quin ſine, fabellis pergat ſibi plaudere vanis.
Mox & *Brutigenæ* proceres *Senonum* arma tremiſcunt;
Mox & corda pavent *Rooki*, & *Malburia* virtus;
Et *Thameſine* pater, verſo fugis improbus amne.
Vel quicquid numeris audebit *Gallia* mendax.
G. O cui multa hilarem indurat fiducia frontem!
Prædoni victo ne ceſſa affingere laudes,
Armipotens dum *Cæſar* ovat, belloque fugaces
Proſternit *Gallorum* acies. Tibi, maxime *Cæſar*,
Cui ſalvas debet tellus *Germana* Penates,
Jam nunc carmen ego, & votivam rite Poeſin
Ingredior; cœptis adſit modo Diva, vetuſtos
Temonas, & tepidos dulci modulamine *Rumos*
Quæ quondam edocuit. (*Gal.*) Nec vanas hercule vires
Imploras; quondam *Geticis* ea præfuit arvis,
Concentu artifici & multo Dea tinnula Rhythmo.
A. Hæc etiam, ſi vera reor, Diva auſpice, *Naſo*,
Tempora cum *Scythiæ* gelidas extorris ad oras
Tranſigeret, triſtes Elegos, miſerabile carmen
Concinuit. (*Gal.*) Canit hinc vel adhuc miſerabile *Temo*.

Qui

Quin Tu (ad*G.*) quando calet tanto tibi numine pectus,
Cæsaris acta refer, seu mira callidus arte
Immutare velis, præponens ultima primis,
Cæsareum nomen, donec mox ordine verso
Literulæ, magni Herois præconia signent.
Seu libeat (paucis, quos *Dacus* amavit *Apollo*,
Contigit hoc) quinos metro pare texere versus,
Quorum in vestibulo & primi sub liminis oram,
Quæque suas sortita vices elementa decenter
Nominis Augusti emineant: ceu fimbria tractu
Fulgenti, niveam circum tegit aurea vestem.

G. Invideas utcunque licet, concepta dicabo
Carmina, *Celtiacis* bilem motura Camænis.
" Exuta incultum tandem *Germania* vultum
" Munera quæ donas? capiti quas læta coronas
" *Cæsareo* innectis? servatis carmina tectis
" Quæ struis? ille oras civili *Marte* sonoras
" Ut videt, & duros hostem undique cingere muros,
" Pandit pugnaces Aquilas, *Celtasque* fugaces
" Victor agit. Divam extemplo Pax tendit olivam,
" Et segetum plenis ridet *Ceres* aurea venis.

Gal. O suaves numeros, & dignum *Cæsare* carmen!

G. Parcius *Austriacis* jam disce illudere Musis.
At Tu, quando vacat, cur non tua carmina contra
Borbonidæ properas? amplum dabit argumentum
Suevum Sylva Tibi, & rorantes sanguine campi.

Gal. Sit

Gal. Sit licet, ut memoras, duro mavorte celebris
Suevia, ſanguineoque undantes flumine late
Intumeant campi; quota pars *Germanus* in illis?
Cæſar ubi hic? aut quas clades *Jovis* armiger ales
Edidit? ignavuſque rapit præconia *Teuto*,
Externo auxilio & conductis debita turmis?

A. Saltem aliqua tanti veniant in parte triumphi
Angligenûm ſocia arma ſinas: non illa per agros
Teutonicos ignota, aut ſævi immunia belli.
O Diva, Heroas jamdudum aſſueta *Britannos*
Pieriis celebrare modis, age carmine læto
Fare memor, quantis *Britonum* imperterrita pubes
Exierit turmis! quo duri *Martis* amore
Ardeſcens, dulces natos dulceſque Hymenæos
Linquit, ſemotoque laceſſit litore pugnam!
Uſque adeo ſtimulant animos & conſcia virtus,
Teutonidumque dolor! quin protinus agmine facto,
Per campos late ſteriles, per inhoſpita ſaxa
Urget iter durum, riguos quâ Moſa *Batavos*
Multiplici luſtrat curſu, quàque ultima *Rheni*
Unda ſonat. Non ſentus ager, non longa viarum
Tædia præcipites tardant; ſimul emicat ardens
Vindelicum in fines, & denſas explicat alas
Improviſa acies. Stupuit perterritus ima
Iſter aqua: gelido ceu quondam Aquilone relicto
Horrida cum erupit gens, immaneſque *Geloni*

Indomiti-

Indomitique *Dahæ*; ingentique examine circum
Barbarus incubuit pavidis exercitus oris.

Gal. Hoc potius decus omne Tibi, fortissime Ductor,
Detulerim, *Tallarde*; tuis ea gloria cæptis
Debita: qui fanstis avibus per & aspera longe
Dumeta, & nigros picea caligine lucos,
Borboniae duxisti acies, lugubre *Suevis*
Exitium. Spectant *Britones* & fulgidus armis
Teuto, nec optato prohibent consistere campo.

G. Ille quidem magnos peperit tibi, *Galle*, triumphos
Campus, ubi ingenti mactatas strage cohortes,
Sanguineo turgens gremio tegit *Ister*; ubi ingens
Borbonidûm Ductor, turbato milite, victas
Tendit sponte manus. (*A.*) adsunt spectantque *Britanni*.

Gal. Sed nec Te indecorem erepta, Dux inclyte, parma
Spectarunt: cæsis *Rhætorum* millibus ante
Insignivit agros tua Dextera; leniter ante
Aspirans, *Gallis* dederat Victoria palmam.

G. O hominis durum os, ærataque robora frontis!
An lætas etiam Tibi squalens sanguine pompas
Skellemburga parit? cædes tulit illa recentem
Borbonio capiti laurum. (*A.*) quin desine tandem
Mirari: fuerit commisso milite pugna;
Nil refert faveatne Deus qui præsidet armis
An tristi excidio ruat agmina; victor utrinque
Borbonius redit, & Tibi, Rex Gradive, trophæum

Sistit

Siſtit ovans. (*G.*) meritus certe, cui prælia Mavors
Fortunet, lætiſque crepet Victoria pennis!
Eia iteret plauſus vacuoſque impune triumphos
Bellipotens Heros; placidis *Germania* Divis
Celtarumque aciem & fœdi perjuria *Boii*
Dum temnit Secura; imum dum fulminat alter
Ad Rhenum *Lodoix*, virtuſque invicta *Sabaudi*
Auſtriacis inimicam avertit ſedibus iram.
A. Vos O *Italides* Muſæ, queis dexter Apollo
Indulſit faciles numeros, artemque canendi,
Vos patrium lætæ Heroem victriciaque arma
Eugenii celebrate. Alius mihi carminis ordo
Exoritur; Muſam propior jam rite *Britannam*
Materies vocat, & *Phœbo* gratiſſima cura.
O mihi Diva pares dederit ſi in carmina vires,
Te canerem, *Marlburi*! alacri qui *Marte* ſecundus
Ceſareamque domum firmas, laudemque *Britannis*
Antiquam inſtauras Victor. Tibi littora longe
Plaudunt *Auſtriaca*, & meritas fert *Anglia* lauros.
Felix ante alios Heros! ſive agmina Ductor
Conſilio regis artifici, tacituſque ſub ipſos
Laberis improviſo hoſtes; ſeu prælia miſces
Dura manu, & pectus nudas in vulnera fidens
Immotuſque animi. (*Gal*) neque ego illi detrahere auſim
Hærentem capiti laurum: juſtoſve negabit
Marlburii famæ titulos, utcunque *Britannis*

Infenſus,

Infenſus, *Lodoix.* (*G.*) pubes Mavortis alumna
Dum tali Genio fidens atque omine tali,
Provocat adverſas acies, placida otia tutus
Cæſar aget. (*A.*) lætos victrix aget ANNA triumphos,
Europæ librans æquato examine lances.

Recitârunt in Theatro, { Honaratiſ. Dom. Dom. *Cærolus Somerſet* Illuſtriſſimi Ducis de *Beauſort* Frater. / *Kingſmill Mackworth* Equitis Aurati Fil. / *Johannes Rayner* Armigeri Fil. } ex Æd. Ch.

In

In Obitum Sereniſſimæ REGINÆ ANNÆ, & Auguſtiſſimi REGIS GEORGII Inaugurationem.

IN plena nondum ſurgere gaudia
Fas eſt. Ad ANNAM lumina *Pieris*
Adhuc retorquens, inter ipſos
Uſque madet pia Nympha Plauſus:
Quam fortè Vates tempore poſtero
Legens, Virorum Prælia reſpuat;
Et Jura *Celtarum* ſuperba
Damnet, ovans, *Salicaſque* Leges:
Quam queſta, paulùm ceſſit ab impiis
Gens tota rixis, juncta doloribus:
Mox, *Te* recepto, ingens GEORGI,
Juncta Tuis paritèr Triumphis.
Idem rogantes impia Nomina,
Liteſque, ſcindunt & lacerant domos:
O, redde, *Tu*, natum parenti,
Redde brevi viduæ maritum.
Gentem, futuris fortitèr anxiam,
Ferax beâſti mille Nepotibus,
Ætate Qui ſerâ futuris
Facta dabunt memoranda Muſis.

Alter

Alter furentem cornipedem premat,
Adornet Alter verba Senatui;
Aſt Alteram lætis choreis
Blanda reget *Caroſinæ* Mater.
Te fors & olim, poſtquam adoleveris,
Fridrice, amicum *Caſtalidum* Choro,
Hæc jactet *Ædes*, uſque Vatum,
Uſque Ducum, generoſa Nutrix.
Tibi columnas docta manus ſtruit,
Transferre ſolers *Italiam Angliæ*;
Quâ fraude luſus, *Phœbus Iſin*
Sæpè petens, *Tiberim* vocavit.
Hic Pectus almis Artibus excolas,
Diſcaſque chartis prælia fingere,
Quâ fortis *Henrici* cubile;
Strenua quà Soboles *Philippæ*
Futura *Gallis* vincula nexuit;
Clio Poetam quà peperit Suum,
Et movit ingens *Addiſonus*,
Quæ moriens *Maro* Plectra liquit;
Quem, deſtinantem Carmina, detinent
Non parva GEORGI Orbiſque Negotia:
At geſta Qui quondam canebat,
Ipſe gerit paritèr canenda.

Wilfridus Lawſon Baronettus,
è Coll. Reg
In

In Exoptatum REGIS GULIELMI ex HIBERNIA Reditum.

O Quam pompæ assurgit honos! qualem induit *Anglus*
Lætitiæ faciem? fluitanti hinc impete densa
Contendit Juvenum turba, ardescitque tuendo.
Inde Senex, cui longa dies evolvere casus,
Et *Britonum* dedit, & discrimina gentis *Iernæ*,
Gestit ovans, tremulasque manus ad sidera tollit.
Illi canities barbam demittit, & ora
Tempus arat; fidæ sed non adnititur hastæ:
Illius oblitus nisu agmina turbat anhelo,
Atque videndi avidus primo certamina cursu
Præterit haud annis gravis, aut jam passibus impar.
Nec procul, incedunt festæ longo ordine matres,
(Quas circum exultat natorum fertilis ordo)
His quoque plausum inter dulce est effervere; quanquam
Ventris onus vetet, & chari dispendia fœtus.
Tu tamen ante omnes reducis, divina *Maria*,
Jassovi ruis in gremium, cœlestia libans
Oscula; jamque animam spiranti in murmure ponis.
Qualis ubi *Gelæi* redeuntem à pulvere campi,

Victorem

Victorem Cytherea Gradivum amplexibus ambit
Impatiens, torvique Dei langueſcit in ulnis:
Nondum pertentat dubiam ſincera voluptas,
Sed tenerâ ſuper ora manu ſudantia repit,
Ac tremit explorans, nè virtus neſcia flecti
Vulnus alat tacitum, atque emptas cum Sanguine lauru.
Injuſtos expelle metus, ô Diva, Clientes
Uſque ſuos Pietas tutâ ſub caſſide condit;
Datque mala obniti contra mens aucta periclis.
Juvernæ ſervum pecus, & palantia terga
Naſſaides premit, & turmis occurrere certat
Gallorum inſtructis ferro, atque audacibus armis.
Occurris, *Gulielme*, cruentoque impiger hoſti
Mille neces ſpargens, raperis per flumina *Boinæ*,
Enſeſque, inſidiaſque, & miſta tonitrua nimbis.
Franguntur cunei, laté increbreſcere ſtrages
Innumeras video: Veluti cum monte Pelori,
Aut Sylvis frondoſæ Idæ capita ardua Cauri
Stringentes, nemus omne immani vulnere vaſtant.
Euge! volat longè expanſis victoria pennis,
Atque acres experta minas, *Dublinia* turres
Submittit, validiſque libens obtemperat auſis.
Fama, cave, objicias cinctæ indeleta Laberæ
Mænia; Dii caſus moli ſtatuere Labanti
Obſcuros: nec enim *Auriaca* ſit digna perire
Urbs inhonora manu: rupem à radicibus imis

Avellet

Avellet vindex turba, & fæx infima plebis.
Ecquis enim *Gallorum* aprico ardeſcere campo
Certatim audebit, qui par jam victima telis
Succumbat *Naſſovi*, & non ignobile funus?
Bellis parce, Heros, nuſquam temerarius hoſtis
Siſtet ſe contra, nec aperto Marte laceſſet
Ultriceſque iras, & ineluctabile ferrum.
Ergo redi Victor; ſpes ô non vana Tuorum
Angliadum! O domitæ magnum Tutamen *Iernæ*.
Quin viden? ut reducem *Britones* cava littora circum
Expectant, fremituſque inter ferit æthera pulvis.
Quid ſi *Pompeium* ſcenali *Oenotria* plauſu
Accipiat tellus, ſtrepituque inſana Theatri.
Nulla valet celebrare Tuos, *Naſſove*, Triumphos
Orcheſtra; (hoc noſtris facinus procul exulet oris)
Ipſa vetant arcto ſimulari in pegmate geſta,
Teque trahunt extra immenſi confinia Mundi.
Sic Proavi longe retro labentibus annis,
Quum Diis extruerent lecto de Marmore Templum;
Templi nudus apex patulis Æthram arcibus hauſit:
Nempe nefas viſum eſt anguſta ſede teneri
Occluſos; Cœli quos nec ſpatia ampla coercent.
Quanquam igitur ſperes, *Borboni*, evolvier urnam;
Quippe furor paulum *Auriacæ* deferbeat haſtæ:
Tu tamen aſpicies mutato flumine ferri
Et Ligerim, & tardam ſanie ſtagnare Garumnam.

Instat summa dies, patrios quâ sanguine manes
Placabit *Nassovius*, & inter prælia vindex
Te pronum ruet, & breviori in limite claudet.
Haud aliter latos peragrantem *Tigrida* campos,
(Quam decuit cæca obscuram latuisse caverna)
Si Leo prospiciat; crissas cervice comantes
Erigit; ignescunt oculi; implacabile frendet:
Mox pavitans fugit Hostis, avito & volvitur antro
Membra metu contracta, ac presso murmure supplex.

Ric. Parker,
è Coll. Mert.

In

In Obitum CLARISSIMI VIRI

JOHANNIS RADCLIFFE

M. D.

CUR inexpletum modulans querelas
Urget ingratos *Rhedycina* cantus?
Cur tremens tam multiplici dolore
Personat *Isis*?
Rege cur tuto melius nitentes
Nubilant Soles; gemitus canoros
Funde testudo; fruitur suprema
Nocte *Machaon*.
Plurimâ hinc prædâ satiandus Orcus
Simplici haud ictu petiit *Britannos*,
Publicum qui Præsidium salutis
Funere mersit.
Virginum imbellis chorus en venusto
Palpitat luctu: sua jam *Cleoram*
Visa pallere Speculo fideli!
Terret Imago.

Heu! quis in vultus nimium fugaces
Febre depulsas Veneres reducet?
Ut sinu excussos roseo in Medentem
Transferat Ignes.
Blandulæ matres soboli tenellæ
Jam timent; Dulcis Pietas laborat;
Pallet hinc Frater, gravis hinc adurget
Cura Maritum.
Quin metus cunctos propior colorat,
(Absit infaustum, precor, absit omen)
Pendet hinc ingens leviore filo
Vita *Georgi*.
Sic ubi immensum recreans laborem
Colla subduxit malè feriata,
Et Polos tergo parili tuendos
Tradidit *Atlas*,
Heu! Deæ toto trepidare cælo;
Corda Divorum timor occupavit,
Fertur & Magni Solium *Tonantis*
Contremuisse.

Edw. Talbot, Coll. Oriel Soc.

Reverendi admodum Episc. *Sarisb.* Fil.

In Exoptatum REGIS GULIELMI ex HIBERNIA reditum.

O Ingens *Heros*, O tot defuncte periclis,
Ergo iterum victor noſtris allaberis oris?
Atque os belligerum, torvumque in prælia numen
Exuis, & blanda componis regna quiete?
Ergo iterum placida moderaris voce Senatum?
Oraque divinum ſpirant jam mitia lumen?
Non ſic cum trepidos ageres violentus *Hibernos*,
Cum bello exultans fremeres, enſemque rotares
Immani gyro, rubris bacchatus in arvis
Invitus: (neque enim crudeles edere ſtrages
Te juvat, aut animis Ditem ſatiare Tuorum.)
Sic olim amplexus Semeles petiiſſe Tonantem
Fama eſt, terribilem nigranti fulmine & igni;
Maluit hic charis accumbere mitior ulnis;
Sed vetat ô propriæque obſtat non cauta ſaluti,
Inque ſuam invitum trahit inſcia Nympha ruinam.
Tu tamen ô totiès *Wilhelmi* aſſueta triumphis
Calliope, ô nunquam Heroum non grata labori,
Wilhelmi immenſos iterum enumerare triumphos
Incipe, & in notas iterum Te attollere laudes.

Ut requiem, fœdæque ingloria tædia pacis
Exosus, rursusque ardens in Martia castra,
Sanguineasque acies, fulgentesque ære catervas,
In bellum ruit, atque iterum se misit in arma.
Gallus enim sævit miserosque cruentus *Hibernos*
Servitio premit, & victa dominatur *Ierne*;
Hinc Furcæ, Tormenta, Cruces, tractæque Catenæ
Horrendum stridunt: iterumque resurgere credas
Macquirum squallentem, atque *Anglo* sanguine fœdum,
Exultantem immane, & vasta clade superbum.
O Gens lethifero nequicquam exemta veneno,
Frustra Bufo Tuis & Aranea cessit ab oris,
Dum pecus *Ignati* invisum, fœdique cuculli,
Et *Monachi* sancte protenso abdomine tardi
Vipeream inspirant animam, inficiuntque veneno.
Assurgit tandem *Schombergus* & emicat armis,
Qui juga captivo excutiat servilia collo:
Sed frustra; securo hostis munime valli,
Aut latet, aut errat vagus, eluditque sequentem.
Augendis restat *Gulielmi* Celta triumphis,
Vindiciis semper *Gulielmi* fata reservant
Et vincla eripere, & manibus divellere nodos.
Sic frustra Atrides, frustra Telamonius Heros,
Ad Trojam frustra pugnarunt mille carinæ
Nec nisi Achillea funduntur Pergama dextra.
Ergo, *Boanda*, Tuis splendet *Gulielmus* in arvis,

Magna

Magna *Boanda*, ipſi fama haud ceſſura *Moſellæ*.
Ut major graditur bello, ut jam gaudia in igneis
Scintillant oculis, & toto pectore fervent!
Quantum olli jubar affulget, quæ gratia frontis
Purpurei metuenda, & non inamabilis horror.
Sic cum demiſſum fertur per nubila fulmen,
Et juvat & nimia perſtringit lumina flamma.
Ut volat, ut longe primus rapidum inſilit alveum,
Turbine quo præceps cunctantem tendit in hoſtem?
Dum vaſtas ſtrages & multa cadavera paſſim
Amnis purpureo late devolvit in alveo.
Dum pergenti obſtat moles immenſa Suorum,
Et torpet miſto concretum ſanguine Flumen.
Pergit atrox Heros, fruſtra Olli tempora circum
Spicula mille canunt, luduntque in vertice flammæ:
Fruſtra haſtatæ acies obſtant, firmæque phalanges,
Fruſtra *acres Celtæ*; furit ille, atque impiger hoſtes
Et fugat, & ſternit, totoque agit agmina campo.
Verſus retro hoſtis trepide fugit, inque paludes,
Torpenteſque lacus cœno, horrendoſque receſſus
Dumorum; & cæci prodeſt injuria Cœli.
Attamen ô, non ſic fauſto movet alite bellum
Schombergus, non ſic nobis favet alea Martis.
Occidit heu *Schombergus* iniqui crimine cœli,
Non illum vernans circum ſua tempora laurus
Conſervat, non arcet inevitabile Fulmen.

At nunc ad cœlum fugit, & pede ſydera calcat,
Spectat & Heroes, ipſe & ſpectandus ab illis.
Hunc dicet veniens ætas, ſerique Nepotes,
Et quicunque *Anglum* audierint rugire *Leonem.*
Cœpit enim rugire, & jamjam ad mœnia victor
Caletana fremit trux, *Dunkirkumque* repoſcit,
Creſſeas iterum lauros magnique trophæa
Henrici repetit: media *Lodoicus* in aula
Jam dudum tremit, & *Gulielmi* ad nomina pallet.

Edm. Smith,

Ædis. Chr. Alum.

In

In Reditum REGIS GULIELMI post Pacem & Libertatem EUROPÆ feliciter restitutam. *An.* 1698.

Ad Amicum, ODE.

EST mihi Nonum superantis annum
Plenus Albani cadus, & Falerni;
Cæcubum vincit, sapit & Calenis
Mitiùs uvis,
Quale nil testa repetens avita,
Ore delibet niveo Belinda,
Cara permultis, mihi præter omnes
Cara Belinda,
Quale nostræ olim vetus hospes oræ
Gallus huc vexit ratibus secundis,
Pace dum terra hæc viguit; vigetque
Te duce, Cæsar;
Quale mox Anglis dabitur bibendum,
Sanguinis testis super hoste fusi,
Hoste? Musa, absit! coeunt amico
Fœdere Galli,

Et ſcyphis tantùm, neque ſicca miſcent
Bella; ſic quærunt melius perire,
Dum mero Boini ſimulantur undæ, &
Caſtra Namurci
Jure deſcendet cadus hic, perennem
Qui notam geſtat, memorem Diei
Quum novus regno Auriacus ruenti
Surgeret Atlas;
Ridet argento domus, ara multo
Thure jam fumat, citharæ parantur,
Et fides gratæ, meditatur altum
Tibia carmen.
Ut tamen nôris quibus advoceris
Gaudiis; Nonæ redeunt Novembres,
Belgicis & jam repetit Senatum
Cæſar ab oris,
Præliis audax animæque magnæ
Prodigus Cæſar, placidæ ſed idem
Arbiter pacis, caput & decora
Cinctus oliva;
Gaudet abjectis Lodoicus armis
Dona jam Regi properare noſtro,
Gaudet & ſancto ſociaſſe Gentes
Fœdere Cæſar,
Fortis hic noſtri Moderator Orbis
Jura dat lœtus populo Britannûm,

Magnus

Magnus, & tantùm minor ille, Cæſar
Gallicus audit;
Tu ſcyphos centum, reduci WILHELMO,
Cæſari centum bibe Fœderato,
Miſta conjunctis reboent culullis
Nomina Regum.
Jam tibi centum cyathos, WILHELME,
Et tibi centum, Lodoice, ſumam,
Uſque ſic current hilarem redacta
Pocula in Orbem;
Mitte civilis ſuper Urbe curas,
Occidit fuſum Mahumedis agmen,
Ipſe Sultanus fugit & Sabaudi
Signa Gradivi,
Non furit primis Catinattus armis,
Enſe nec rumpunt medias phalanges
Cutus, Erluſque, heu! metuenda ſævo
Nomina bello!
De tholis pendent laqueata circum
Arma, nec poſcunt Dominos priores;
Cæſari Mavors, poſitiſque flagris
Cedit Enyo:
I puer, lætas propera Coronas,
Et ſcyphos Pacis memores peractæ,
Jam patri Baccho libeat feroces
Solvere tigres,

Orgiis adſis metuende thyrſo
Liber; Edonis ego non cruentis
Sanius bacchor; furere eſt WILHELMO
Dulce recepto.

B. Wyllys, A. B.

Coll. Regal. *Cantab.* Soc.

In

In Obitum Auguſtiſſimæ Principis HENRIETTÆ MARIÆ Reginæ Matris.

REGINA, & MATER, Duo maxima Nomina; ſed quæ
Non implent Titulos, Celſa MARIA, tuos.
Quæ CAROLI Thalamis, CAROLI Partuque beata
Fœmineæ Laudis Culmen adepta jaces.
Gallia nunc ſibi Te, nunc Anglia vendicat; at jam
Te nimis, heu! fecit Gallica Terra ſuam.
Parte tamen majore Tui poſt fata ſuperſtes,
Dum vivit CAROLUS, non potes ipſa mori:
Sed tandem Variâ Fortunâ laſſa quieſcunt
Regia Nativo reddita membra Solo.
Tu Sortis Victrix utriuſque Utramque ferendo,
Occidis Adverſæ & Proſperioris Apex.
Uſque immota manens, & pluſquam Fœmina, nunquam
Immemor aut CAROLI, Diſſimiliſve Tui.
Cum tibi nec Conjux, nec Regna, aut Sceptra manerent,
Mens Tibi pro Sceptro, mens Diadema fuit.
Cumque ſacram urgeret jam deſignata Securis
Cervicem, & Diræ Scena parata Necis,
Alloqui in Extremis non Tu permiſſa maritum,
Nec diſceſſuro dicere Triſte Vale.

Scilicet

Scilicet hoc duro vetuit *Cromwellius* ore,
Cui monſtrum par non Africa tota tulit.
Vixiſti tantos tamen Eluctata dolores,
Filio ut aſpiceres reddita, dempta Patri.
Una cadis, verum Ramos, ut Regia Quercus,
Spargis in Immenſum Multiplicata tuos.
Hinc tot poſt Annos, poſt bis ſex luſtra peracta,
Conquerimur Vitæ Stamina curta tuæ.
Namque duos tales tibi quæ dedit, Anglia, FRATRES,
Tranſigere & Vitas digna erat illa Duas.
Tantæ igitut Famæ non unus ſufficit Orbis,
Nec Cœlum Totam Te, neque terra Capit.
Diviſo Titulo, Superis in ſedibus audis
REGINA, in Terris Nomina Matris habes.
Seu Cœlum, Terramve petas, tua Regna tenebis,
Regnat enim CAROLUS Mundo in Utroque Tuus.

R. South S. T. P:
Acad. Orator Pub.

In

In Obitum Celsissimi & desideratissimi Principis GULIELMI Ducis Gloceſtriæ.

ERgo innocentum ſanguine Principum
Nondum expiantur funera *Caroli*!
Nec ſufficit conceſſa fatis
Imperii columen *Mariæ*?
Quin ſpes futuras præripit Angliæ
Vindex Tonantis dextera, Regiam
Nec protegunt Mærentis *Annæ*
Aut lachrymæ Pietaſve prolem!
At O ſonoræ Diva potens Lyræ,
Obliviosâ quæ celebrem eripis
Heroa nocte, prorogaſque
Præteriti breve tempus ævi;
Dignam perenni laude vetes mori
Illuſtris *Annæ* progeniem, vetes
Latere virtutes, & auſus
Egregios teneræ juventæ.
Fare, acer armis ut rutilantibus
Effulſit Infans impiger, ut terem
Vibravit haſtam, inter coævos
Mira ciens ſimulachra pugnæ:
Fidus Parentem, Fidus avunculum
Sequi *Wilhelmum*; ſeu patrium efferos Imberbis

Imberbis Heros in Sabaudos
Agmen agit, vigilesve Gallos;
Seu per minaces navigat æquoris
Audax ruinas; fulciat Angliæ
Ut Rem labantem, Numinique
Restituat sua fana vero.
Nec Musa dotes, nec retice ingeni
Mirum vigorem: prodigus hic tuas
Fovit sorores; exulesque
In patriam revocavit artes.
O Magne Princeps! dulce decus tuis
Et spes Britannis: heu! nimis emicat
Matura virtus, & caducos
Fama nimis superavit annos.
Heu! quas coronas nexuerant Tibi
Minerva & acer Mars, Lachesis rapit
Immitis: intertexta lauro
Mœsta comas redimit Cupressus.
At Quis Parentum carmine lugubri
Æquare luctus & gemitus graves
Sperabit, occultosque planctus
Nassovii, Britonumque fletus?
Hic siste Clio, nec pia Næniam
Tentes inanem, nec querimonias
Profunde; tanto muta luctu
Jure Chelyn fateare victam.

Rich. Frewin Æd. Christi Alum. THA-

THAMESIS VINCTUS,
SIVE
De *HYEMIS* Anno 1675.
Inclementia.

FER flammas, fer Phœbe tuas, da pectora vatis
Igne calere novo, ſacroque accendier æſtro.
Quale poteſt Scythico nataſque ſub axe pruinas
Solvere, & hyberno concretas frigore moles.
Quale tuas etiam, Thameſi, laxare catenas,
Et gelidas animare poteſt his ignibus undas.
Nam tibi, dum lenis Carolinæ allaberis aulæ,
Et dominum attonitus tacito veneraris honore;
(Pars magna immenſi, cui jura dat ille, profundi)
Dumque tuis ſaturata vadis auguſta triumphat
Imperii ſedes, & regum longa Britannûm;
Acris hyems, duris Aquilonum invecta procellis,
Intercluſit aquas, indignataſque teneri
Te cuſtode, tuas immota coercuit undas.
Sternitur æqualis vitrei pellucida campi
Area, quæ ſolidis laterum compagibus hærens,
Impoſitum ſuſtentat onus, ſub pondere Nereus
Ingemit,

Ingemit, & rauco nequicquam obmurmurat ore.
Ergo ait, antiqui ceſſit reverentia ſceptri,
Hæc ut deberet mea ſors ludibria cœlo?
Hac vice contentus fungar, dum numine lævo
Nereidum thalamoſque mearum, atque humida regna
Carcere commutant ſuperi, & nova vincula nectunt.
At non hæc olim potuit fortuna nocere,
Cum noſtrum ſubjecta agnoſceret unda tridentem,
Et pleno rueret, quâ ſe tulit impetus, alveo,
Effuſis ſpatiata vadis, atque æquore tuto;
Nunc ego ſiccus, inops. Conanti plura referre
Vincta gelu vox conſtiterat.
Nympharum aſſenſere chori, plauſuque ſecundo
Increpuit glacies, ſubito commota fragore;
Quæ poſtquam exiguam dederat divulſa ruinam:
In ſe iterum rediit ſtipata tenacius unda.
Tunc omnes certatim una concurrere cives,
Et trepidi tentare fidem, num robore firmo
Conſtaret, patulove ſinus laxaret hiatu;
Evectoſque procul fundo ſubmergeret imo.
Mox vanos repetita metus audacia vicit,
Et quo quiſque valet ſtudio, diverſa ſequuntur
Conſilia, hic alii ponunt aggeſta futuris
Fundamenta caſis, illic undantia flammis
Ordine ahena locant, verubuſque immania figunt
Terga boum, varioque parant convivia luxu:

Fit

Fit ſtrepitus, paſſimque novo diſcurritur urbe,
Et niveis hinc inde micant tentoria velis:
Qualia ferre ſolent inflata tumentibus auris,
Cum gravidæ quondam querent per cærula naves,
Nunc vacuæ & ſicco ſubductæ littore naves.
Quam memini plenis diſtentæ carbaſa ventis,
Cum totas Orientis opes, Eoaque ferrent
Munera, & advectæ propius Thamesina ſubirent
Oſtia, ceſſerunt æratis frontibus undæ;
Quæ jam conſtrictas hyemali compede puppes
Sede tenent unâ; non ſic radicibus hærent
Montanæ, quarum naſcuntur robore, quercus.
Tale gelu pigro ſentit *Greenlandia* cœlo,
Longus ubi indigenas Boreas, & frigidus urget
Jupiter, & quod fama refert, intercipit udum
Vocis iter; donec paulatim, evicta calore
Pulſa recedit hyems, glacieſque in verba reſolvit.
Incaſſum Thameſin numerosâ ſaxea moles
Arce premit, Rhodium moles imitata Coloſſum,
Quæ multo armatum torrente reverberat æſtum,
Et plus ter ſeno deſpumans ore remugit,
Deſpectatque ſuos excelſo vertice fluctus.
Ipſe ſibi pons eſt, qualem nec Iberia jactas
Quamvis mille ſuper depaſta armenta vagantur,
Ingeminatque frequens plauſum toto ungula campo.
Nam tua ſecretos interluit unda meatus,

Inque

Inque ſinum terræ tecto ſe gurgite condit,
Ceu pudor has ſuaſit latebras cæcoſque receſſus:
Nobilior cœlo Thameſis ſe credit aperto,
Admittitque diem, & nitidis procul emicat undis
Sole laceſſitus, tremulus ferit æthera ſplendor
Aureus, & natus glacie reflectitur ardor.
Lævia non aliter Phœbæum admota remittunt
Vitra jubar, tunc cum glacies impervia tergum
Occupat, & radios longe jaculatur acutos,
Tuque tuis ardes transfixus *Phœbe* ſagittis.
Eja age (nam ſolus flammis opera omnia luſtras
Et conferre potes, quæ luſtras, omnia) fare,
Si quid habent *Alpini* adeò memorabile montes,
Æternæque nives, inconſumtæque pruinæ;
Quas nempe effuſo Pœnus diſſolvit aceto,
Laxavitque ſuo nervos adamante ligatos.
Tu quoque qui quondam Phryxæum navibus æquor
Traviſti, nomenque immenſum epota dederunt
Flumina, deriſos en tandem cerne labores,
Utque novas, *Xerxe*, ſubeant tua vincla catenas.
Nec tibi, quem cœlo geſtarum gloria rerum
Extulit, Alcide, quamvis Achelous ademtum
Luget adhuc cornu, & truncum caput occulit algâ;
Cederet ipſe ſuis infractus Thameſis undis,
Uſque relicturus feſſam hoc molimine dextram.
Quam juvat Iliacæ repetentem funera gentis

Te,

Te, Neptune, tuaſque olim meminiſſe ruinas,
Suppoſito tunc cum tremerent ſubverſa tridenti
Pergama. Longa dies quid non feret; ecce rependit
Æquales Auguſta vices non immemor ortûs
Et Bruti ſoboles & aviti ſanguinas hæres.
Teque adeo pedibus ſubjectum calcat, & ipſa
Rectorem domat unda ſuum, invitumque coercet.
Sic proavos, ſic ulta ſuos, nova Troja, triumphat.

George Clerke, Equit. aurat. fil.
è Col. Ænei Naſi.

ORMON-

ORMONDUS PRÆSENS IN ACADEMIA *OXONIENSI* 1677.

ODE.

JAM satis belli est, satis atque nostri
Sanguinis fusum: miseris quid ultra
Dirus arrecto populis minatur
Crine cometes?
Ista pacatis procul à Britannis
Omina avertant superi benigni:
Ista dum Gallos propius comatos
Omina tangunt.
Sive crinitos potius Sicambros,
Hispali seu jam Batavum faventem:
Quosque Germano sociale junxit
Fœdere bellum.
Regna mutantes modo quod vagentur
Igne ferali per inane stellæ,
Mitte curare; id populi madentes
Sanguine multo,
Viderint

Viderint Reges, timeantque cœlum.
Sæpe lugubres Jovis adminiſtra,
Siderum accendit Libitina, regum in
Funera tædas.
Pace nos alma melior beatos
Protegit Divûm favor, & ſolutum
Anxiâ pectus comedente curâ
Ducimus ævum.
Quale tranquillæ perhibentur olim
Aureis gentes habuiſſe ſeclis;
Jupiter nondum violavit auri
Secula ferro.
Dii mihi ripa viridi jacenti,
Dent levi curas reparare ſomno:
Dum fluat ſubtus Thameſis ſuſurrans
Murmure blando.
Non ego Gallos, validoſve Belgas
Prælio audaces metuam, aut Iberos;
Audiam clades alacer, truciſque
Fulmina belli.
Dum mihi curis vacat expedito,
Carmen agreſti modulari avena;
Induant illi celebranda noſtris
Verſibus arma.
Phœbe, nam bello quoque tu feroci
Præſides, fortique ſoles vibrare

Carmi-

Carminum grato ſtudio ſolutus
Spicula dextrâ.
Senſit armata jaculis pharetra
Te nigro Python gravidûs veneno, &
Quam prius vitam radii dederunt,
Abſtulit arcus.
Tu mihi clades reſera recentes;
Quas quatit turres Ludovicus acer;
Qualis & victor triplici ſuperbus
Hoſte triumphat.
Dum levi carmen meditor ſub umbra,
Temperans grandi citharam cothurno,
Adſtitit Phœbus pater, & renidens
Talibus inſit.
Immemor noſtri quid inepte Reges,
Bella quid caſtis nuribus timenda,
Aut quid impulſo ruitura cantas
Mœnia ferro?
Te decet laudes memorare noſtras,
Te decet Faunos, & aprica rura
Dicere, & Muſas; tenuique ſacras
Carmine ſylvas.
Fallor an plauſu ſonuit Lycæum?
Venit ORMUNDUS, columen decuſque
Grande Muſarum, tibi ſolus ille,
Ille canendus.

Inclyti

Inclyti coram datur intueri
Principis vultus? viden' ut ſerena
Fronte majeſtas ſedet, & beatos
Fundit honores?
Docta patronum venerata pubes
Hæſit in vultu; juvenemque ſemper
Credidit Phæbum: Deus ille noſter
Dixit Apollo eſt.
Lætus æterna pariter juventa,
Et fovet ſacras pariter Camænas:
Iſis & noſter, ſimilique Pindus
Præſide gaudet.
Sæva miteſcet, dominique mores
Ducet exemplo tua nunc Ierne:
Vipera tellus caret, & venenum
Incola ponit.
Dividit regnum, pariterque curas
Carolus tecum; ſociumque quærit:
Alter Hibernos regit, & Britannis
Imperat alter.
Mon opus Belgis, trucibuſve Sallis
Carmen ut conſtet: merito canetur,
Fortium nondum ſterilis virorum
Patria tellus.
Otio nondum placido ſepulti,
Deſides bellum metuere cives;

Classibus pontum soliti replere,
Milite classes.
Ecce jam montes viduantur ornis,
Deserunt jam jam juga nota quercus;
Turbines passuræ iterum, & minaces
Æquoris iras.
Sentiet Gallus dominum profundi,
Sentient Belgæ Carolum furentem:
Arbiter pacis; sed & ille sumptis
Major in armis.

Guil. Kingsmil, Arm.
ex Æde Christi.

In

In Cometam apparentem *Anno* 1678.

DUM fatale rubes cœlis accenſe Cometa,
Terra tremit, dirum mox luitura jubar.
Everſas acies, ereptaque ſceptra minaris,
Et Regum tumulis conſcia tæda micas.
Nos tamen impavidi fruimur felicibus umbris,
Omine quos nullo pax temerata beat.
Dumque nova attonitus ſtupet ad præſagia mundus,
Deridet feſto carmine muſa metus.
Errantem te ſola timet plebs ruſtica, thyrſis
Dum putat exiguæ fata monere caſæ.
Te metuit pluſquam fulmen, corvumve ſiniſtrum,
Vixque capella biceps omina tanta tulit.
Imputat & Corydon tibi ſoli Phyllida duram,
Invidiæ tribuens irrita vota tuæ.
Pandite cælicolæ quibus heu latitavit in oris,
Peſtiferum abſcondens ſtella maligna caput!
Unde alit immenſam multo & fœtam omine caudam?
Quæque orbi ſpargunt millia fata, comas?
Nunquid ubi in terras ſuperi ſua tela minantur,
Hæc pharetra iratum ſignat adeſſe Jovem?

Seu caſtigandum demonſtrat cœlitus orbem,
Sævaque prædicit verbera, virga poli?
An potius tali ſub forma ad ſydera ſcandat,
Eſuriat largas cum Libitina dapes;
Deſignans miſeram quamcunque ad funera gentem,
Quæ foret immenſæ præda futura gulæ?
Quicquid erit, nunquam cœlis impune videris,
Spargens lethiferas, dire Cometa, minas.
Te viſo exanimes horrent præſagia Reges,
Atque capillitii cæca venena tui.
Quanto emeret pretio tranſverſam Gallia caudam?
Stella hæc bellantes territat una Duces.
Tot devaſtatas odit Loviſius urbes,
Cum cœlum palmas nuntiat eſſe breves.
Hunc etenim ſignant proprio quaſi ſtigmate Divi,
Dum bene criſpato crine Cometa micat.
Se talem oſtendit noſtris *Cromwellius* oris,
(Quis non lethiferum noverit eſſe jubar?)
Terræ fæce ortus, tanquam exhalatio, cædes
Spirabat, naſus cui quaſi ſtella minax.
Obſtupuere Angli fatalem regibus ignem,
Non poterat CAROLI quem ſatiare cruor.
Sed ſuperi tandem fœdum extinxere cometam,
Cœlo turbantes hunc Phaethonta novum.
Indice non opus eſt, cum bella Academia movit,
Odit & ignavas alma Minerva togas:

Inſtruit

Inſtruit armatas divina ſcientia turmas,
Et jactat pugiles hinc Stagirita ſuos.
Huc properant cerebri quibus eſt fiducia, aperto
Sive placet bello vincere, ſive doſo.
Nunquid & hæc nobis prædixti bella cometes?
Influxu haud pendent prælia noſtra tuo.
Arridet nobis mira indulgentia cœli,
Totaque ſtellarum læta corona favet.
Pax grata *Oxonium* niveis circumdedit alis,
Dum fugit à ſtrepitu buccina rauca tuo.
Non violat placidum telorum clangor aſylum,
Sed celebrant hilares carmina feſta dies.
Et dum *Sheldoni* frangit ſubſellia nomen,
Otia jactamus quæ Deus ille dedit.
Annua thura feret patrono Academia, ſtellæ
Nec Metuit, tanto Præſule fiſa, minas.
Pace frui æternâ ſolus dedit ille Camænis,
Et profugis ſacrum pandit ubique ſinum.
CAROLUS æthereâ proſpexit ab arce *Britannos*,
Nunciat atque Anglis omina fauſta ſuis.
(Sic ubi ſacrilegis cecidiſſet Julius armis;
Agnovit tali ſydere Roma deum.)
Ergo timere nefas, cum tu, prænobilis hoſpes,
Cœlitus immiſſi pignoris inſtar ades.
Qua vadis, plaudit cœlum, ſuperique benigni;
Pellit & auguſtum ſigna proterva jubar.

Arridet placide te viſo Academia mater,
Lumine & inſolito læta theatra micant.
Gaudia quæ præſtas dum noſtra haud pectora ferrent,
Diſceſſu fuerint ni tenuanda tuo.
Culmine de ſummo tibi quæque ſcientia flectit,
Aureaque æternum concio portat ave.
Dumque ſimul junctæ pulcram effecere coronam,
Quos geris archetypos iſta figura refert.
Et cupiens digno verſu te tollere ad aſtra,
Ultra quem nequiit fingere, Muſa videt.
Vade ergo occiduæ rapiunt quocunque ſecures,
Præſide te, fœlix utraque Pallas erit.
Non poſſis Phæbo & Muſis non eſſe patronus;
Quando tibi imperium ſignat utrumque Lyra.
Impatiens fræni te notum expectat Ierne;
Atque regis, domuit quam tua dextra, feram.
(Sic tua Bucephalus novit, Pellæe, capiſtra,
Et Dominum flexo poplite ſponte tulit.)
Hinc lætum exornat ſe miro hoc ſydere cœlum
Inde favet velis hæc cynoſura tuis.
Quæ fauſtum deſignat iter, pelagumque ſerenum,
Imperium fuerit quale, patrone, tuum.
Sit procul ergo famis quicquid, mortiſve pericli eſt,
Ite procul vani, pallida turba, metus.
Nos magicæ laurus, ſacræ & tutantur olivæ,
Protegit & proprios Pallas amica lares.

Sanguinei

Sanguinei reges timeant tua tela, cometes,
Quælibet ignitus regna flagellet apex.
Tu modo Dux faveas; dum fractus labitur orbis,
Impavidos feriet si ruat ipse polus.

Jo. Percival, Baronetti filius
ex Æde Christi.

Votum pro Pace. *Anno* 1677.

ECquis, Jo! molli nectet mea tempora myrto,
Impedietve comas ramo ſelicis olivæ?
Speratam ſola illa decent inſignia pacem,
Pro qua vota damus; ſi ſe pia numina votis
Flecti permittant, non averſata precantes.
Sat bello furiiſque datum eſt; terraſque ruina
Involvit ſciſſâ gaudens diſcordia pallâ:
Pugnatumque ſatis, gladiis in mutua ſtrictis
Viſcera, ſat pingues undarunt ſanguine campi.
Nunc ſupereſt duris Martem compeſcere vinclis,
Indignantem & mordentem rabido ore catenas.
Et piget, & longi repeto diſpendia belli,
Demiſſas tot letho animas, tot funera, gentes
Perculſas fato uno, & eodem turbine raptas.
Cum late intremeret laxis campagibus orbis,
Miſceretque graves ingenti clade tumultus.
Quocunque invitos oculos & lumina flecto,
Mæſta animum facies, & turbida terret imago:
Qualem nunc præbent cum celſis oppida caſtris
Diruta, fulminibuſque novis labefacta dehiſcunt
Mœnia; vel patrio pulſus cum limite civis

Ignotas

Ignotas quærit terras, alienaque regna.
Seu vacat audire, attonitas defertur ad aures
Miſtum expirantum murmur, gemituſque cadentum:
Sponſarum fletus queruli, matrumque Ululatus;
Ille dolor natis debetur; & ille maritis.
Accendunt animos rauco fera claſſica cantu,
Ultoreſque vocant cœlis ad prælia divos,
Qui late rabiem ſpargunt, & ſanguine complent
Commiſſas acies; ceu cum maga Theſſala lunam
Ære ciet, quæ puniceo ſuffuſa colore
Ardet, & inſolitos ſentit rubicunda labores.

Te ne prius memorem tanti fax, Gallia, belli,
Indomitumque animum *Ludovici*, intextaque lauro
Lilia, ſanguineo quæ rore madentia firmo
Robore ſuccreſcunt, tantis fœcunda triumphis?
Nam ſimul ac cladis ſignum ferale futuræ
Suſtulit, ipſa ſibi cæcos inſtare tumultus
Senſit, & excepit primi tentamina belli
Alma Venus, tua quæ quondam, Trinacria, cura
Inſula; ſed nunc Martis amor, bellique palæſtra.
Quocunque infeſtus ſua fulmina mitteret hoſtis,
Credidit undantem ruptis fornacibus Ætnam
Eructare ignes, & totis ſpargier agris.

Sed nec, Belga, tuæ minus intremuere paludes,
Quamquam ſpes populi fractas, animoſque labantes
Errigit Auriacus, certus non cedere fato.

Quas numerat clades toto Germania Rheno
Acceptas, rubro miſtos cum gurgite fluctus
Volvit, & arma virum pigro manantia tabo?
Quin agite & caſtris inimicum expellite Martem
Et quæ mutua jam torquent haſtilia, pacem
Porrectæ expoſcant dextræ, poſitoque furore
Concordes animas communi fœdere nectant.
Quod ſi amor indomitus, bellique inſana cupido
Exagitat promtas quæcunque ad prælia mentes;
At ſaltem his furiis, ſaltem his obſiſtite cæptis,
Nec caleat cognato infectum ſanguine ferrum.
Si cupit oblatum generoſior impetus hoſtem,
Non longe quærendus erit, ſine vindice tutus
Imperium late diffundit Turca, quid illo
Ceſſat in hoſte manus, virtuſque ignava fatiſcit?
Ecquis falcatæ contundet cornua lunæ,
Quæ tot adhuc radiis, & plena luce comſcat?
Nec tamen illa tuas imitetur, Cynthia, flammas:
Nam tua fax quoties reparato creverit igni
Fit minor, & ſpatio breviori contrahit orbem.
Hæc plus aucta nihil perdit, majorque videri
Surgit, ſtellarumque acies extincta minorum
Cedit, & adverſæ prærupta obſtacula terræ.
Dignum aquilâ, Germane, tuâ meditare triumphum,
Converte huc vexilla, tuuſque huc advolet ales,
Qui poſitis quondam exuviis, florenſque juventâ,

Et

Et ſemper ſublime volans excepit aperto
Æthere candentes radios, atque oſcula Solis;
Nunc tremit, & fixis vix Lunam admittit ocellis.
Huc acies, *Ludovice*, tuas atque agmina mitte,
Hinc redeant onerata, noviſque ſuperba trophæis;
Mille licet numeres partos hoc Marte triumphos,
Palma inhoneſta venit, laurúſque ingloria, bellum
Civile eſt quod adhuc geris, & non exterus hoſtis
Quem petis, Europæ tandem miſerere cadentis,
Et fractas illinc vires; nos ridet inultus
Barbarus, æterni feſſos molimine belli.
Dumque videt ſiccas exhauſto ſanguine venas,
Ipſe ſuis lætum membris geſtire vigorem
Sentit, & hic, inquit, ſemper fera regnet Erynnis,
Ut fruar his damnis: facile eſt invadere gentes
Marte ſuo domitas, & longâ clade peremtas.
Contigerit ſi forte iſtas *Ormondius* oras,
Pax greſſus conferre ſuos geſtiret eunti,
Et tam ſacra pari premeret veſtigia paſſu;
Qui ſæpe indocilem potuit compeſcere gentem,
Nativum mutans cultu meliore furorem:
Has artes didicit repetito *Ormondius* uſu;
Pluſque ſonat domito pacata Hibernia mundo.
O dilecta Deûm, tellus, atque unica cura
Anglia, quæ nullis jam tempeſtatibus acta
Uſque immota manes, (nam qua tua littora Pontus

Irrigat, Alcyone pacatis incubat ovis;
Atque omnes ceſſant venti, ponuntque tumultus.)
Exaudi, & noſtras ne dedignare querelas.
Tu quoque, ſi quando, feſſis ſuccurito rebus
CAROLE, commiſſaſque jube manſuefcere gentes;
Uni ut terra, uni tua pareat Anglia Divo.
Solus enim tantas dignus componere lites,
Qui potuit ſolus commune indicere bellum.

Sim. Harcourt Baronet. fil.

è Coll. Pemb.

In

In Mortem EDVARDI KING una cum Navigio ab aquis abſorpti.

HEU! quid malignis pontus inhorruit
Suſpenſus undis! quid mare perfidum
Ventuſque conſpiravit in te,
Te, decus ô EDOARDE noſtrum!
Fluctus pudendi ſcilicet obruant
Tot literarum præmia; ſcilicet
Tot noctium (proh) tot dierum
Nox ſimul una premat labores!
Piſceſque muti in viſcera devorent
Linguam Latini mellis & Attici
Stillante plenam ſuavitate,
Ah, tumulo meliore dignam!
Delphinus æquor nullus Hibernicum,
Credo, pererrat: Nempe fidicinem
Dorſo Methymnæum repando
Piſcis amans hominum ſubivit,
Tutumque arena depoſuit ſua.
Quid mille nervos, aut quid Arionas
Dicemus? unus, unus iſte,
Iſte lyras ſuperavit omnes.

Inſi-

Infida pinus, navis inhoſpita
Cur O dehiſcit; cur latus impium
Admiſit undam? tutiora
Promeruit ſibi ligna vector.
Non ille cædis, non abiit reus
Furti, nec hoſtis vim patriæ tulit,
Ut legis hinc ereptus ira
Vindice naufragio periret.
Sincerus (eheu!) pectoris, integer
Vitæ receſſit: nil oneris mali
Ratem gravabat; nil ab illo
Aut ſceleris fuit aut pericli.
Infame littus! te rabidum mare
Fractis ſolebat plangere fluctibus:
Nunc planget illum, quem tremendis
Faucibus in ſua regna ſorpſit.

Coke.

Tem-

Templum Academicum Inſtauratum.

MUSA Theatralem toties experta palæſtram,
Et meditata novos, circo plaudente, triumphos,
Sheldonumve loci Genium, doctoſve paratus
Bodlæi, toties felici in carmine pingas:
Flecte gradum, paulumque ſacros mirare penates,
Haud tam mole ſua, quam relligione verendos.
Pande ſacros latices, Solymoſque imitata poetas,
Grata inſtaurati celebres encænia Templi,
Quod pietas antiqua dedit, cui nupera virtus
Optatum decus, & meritos afflavit honores.
Uſque adeo *Oxonia* eſt gentis fæcunda togatæ,
Et culta innumeris, quos nutriit ipſa, patronis,
Qui decorant Muſas, & qui decorantur ab illis!
Uſque adeone diu ſedes dilecta monarchis
Audiit, & regni decus & tutela Britanni!
Dum lævâ ſceptrum, dextrâ complexa libellos,
Auguſtæ frontis gerit ornamenta coronam,
Haud magè ſtructuris, quam pulchrâ prole ſtupenda,
Una Europæas poterat ſpreviſſe ſorores.
Cernite pacifico lætantur ut omnia regno!

Ut

Ut rutilant Ædes, quas incolit Anglus Apollo!
Cernite ludentes almæ circum ubera matris
Florentem ſobolem, formoſas undique natas,
Omnes diverſis ſtudiis & diſpare forma.
Magnificas alias, alias juvat eſſe decoras,
Quin rivali omnes audent contendere cura.
Quælibet ornatum ſentit ſperatve futurum,
Maxima pars caſſas ſenii eluctata procellas,
Æternam ſibimet ſpondet reparata juventam.
At pars ſacra jacet, jacet heu neglecta Maria!
Et divæ ornatum, faciemque effœta reponit;
Quæ toties bibulas doctis ſermonibus aures
Pellexit, totieſque preces ad ſydera miſit.
Sæpius hoc uno infelix Academia, curas
Expreſſit, fruſtra votis delubra requirens,
Digna ſui delubra, atque hoſpite digna Tonante.
Spem primam, primoſque dedit *Sheldonus* honores,
Et pia venturis fecit prælùdia cœptis;
Dum Divæ vetuit miſceri Palladis ædes,
Et vaga virgineo ſubduxit ſcommata templo.
Alter Præſul adeſt, cujus ſub ſydere fauſto,
Et cura aſſidua moles operoſa Theatri
Surrexit, Templumque ſimul; cui maxima velle
Summa dedit virtus, mentemque ad maxima natam:
Ille indefeſſus, magniſque exercitus auſis,
Spargit inexhauſtos latices de fonte perenni,

Qua

Qua patet *Oxonium*, qua publica commoda conſtent,
Qua privata vocent, ſtudio ac hortatibus inſtat:
Ille animo ſacrum modulum, ſumtuſque revolvens,
Curat & urget opus, quam tanto Præſule dignum!
Conciliatque decus quantum ſinit arctior ædes.

Quis ſileat laudeſque tuas, tuaque ampla, *Bathurſte*,
Munera, tercentum (proh! ſacra impendia) libras!
Quis doctæ patulæve manus miracula pandat
Pro merito? tua Muſa tuos inſtauret honores,
Tu genio, & donis, noſtras depingis Athenas.
Læta diu, florenſque tuis Academia curis,
Te patrem agnovit, jam magnum experta patronum;
Atria teſſerulis ſignant diſtincta *Bathurſtum*:
Marmora conclamant, hunc roſtra, hunc pulpita nôrunt,
Hoc ſacrum æterno ſculpetur marmore nomen.
At quo Muſa impar tanto ruis argumento!
Hæc tacite ſtupeas molimina, digna Maronis,
Digna ſuo calamo; ſtupeas venerabile donum
Marmoreos lapides.

Nunc juvat & viſu mirari, & carmine templum.
Quam ſupero faſtu ſpatioſum fabrica vicum,
Et, licet ingratos, deſpectat candida cives:
Commoda, pulcra ſitu, è medio circumſpicit arces
(Quas amat ante alias, ſolaſque agnoſcit alumnas)
Seu centrum *Oxoniæ*, ſeu cor magè dicere poſſis,
Unde fluunt, refluuntque ſacræ ſpiracula vitæ.

Auguſta

Augusta aspectu primo perstringit ocello
Porticus, ut niveis radiat suffulta columnis,
Sculpturis varia, & variâ spectabilis arte!
Defendit sacros aditus pulcherrima virgo
Cum prole ætherea, (quæ mascula gratia vultûs
Virgini inest prolique!) jubet procul ire profanos,
Et vetat impuros tam castum insistere limen,
Invitatque pios, patulisque amplectitur ulnis.
Pyramis æthereas inter pulcherrima moles
Emicat, ut sensim consurgit in aëra conus,
Subjectamque basin despectat lumine læto!
Hoc priscæ pietatis opus. Sed serior ætas
Addidit innumeras longo, & pulcro ordine pinnas.
Auctior his ædes placitæ spectacula pompæ
Dat procul, & graditur, qualis Berecynthia mater
Cælicolûm media incessit turrita per urbes.

At nunc Musa oculos sacra in penetralia flectas.
Pars ea, quâ pandunt divina oracula mystæ,
In veterem (ut perhibent) rursus revoluta figuram,
Ad latus occiduum læta & pudibunda recedit,
Qua recta accipiens orientia lumina solis,
Mystica divinæ procul aspicit atria mensæ,
Et procul amotam spectat reverentius aram.
Major sacra domus, majori lumine ridet;
Quam sibi dissimilis! quantum mutata refulget!
Olim qualis erat! quam parci conscia cultus!

Quo

Quo prius aſpiceres oculis pedibuſque moleſta
Rudera, & argillæ ſolidato fragmina ſaxo
Compacta, & ſparſos lateres, tumulique pereſi
Ruptas relliquias, forſan ceimelia digna,
Et ſanctè ſervanda illis, quibus unica cura eſt
Mutatos ridere lares, & ſola trophæa
Temporis, ac tritam mirari martyris urnam.
Plus ſolito jam fulget humus, jam marmore tellus
Strata, ruinoſam faciem ſulcoſque ſeniles
Lævigat, in vitri morem, chalybiſve politi,
Ut nulla æquatos greſſus feſtuca moretur.
Qualis planities in pictâ valle renidet,
Quam manus artificis, ſaxumque volubile raſit.
Machina ſtat medio vocalis pegmate fixa,
Et ſegetis pictas claſſes oſtentat ahenæ:
Hæc animata ſui motu pulmonis anhelo,
Circinat excuſſum taurino è carcere ventum,
Et patulos vario tubulos modulamine replet.
Ut micat erranti digito libata, graveſque
Inſpergit numeros operoſo pollice preſſa,
Concitat affectus tardos, lenitque rebelles!
Totas harmoniæ vires complectitur una,
Una potens cognatæ animæ, ſuperumque choreis
Æmula, divino miſcet commercia plauſu.
Aſpiciam quocunque loci, nitidum omne coruſcat,
Undique lautities, merita undique gratia templo.

En, qualem matrona velit, reverenda venuſtas!
En pulchra hæc ſine luxu ædes! non illa paratus
Magnificos ambit, non qualem curia pompam
Romana oſtentat, Venetive ſuperbia Marci:
Non quantum celebrata crepat Lauretta ſacellum,
Lauretta Italiæ ſtupor & mercatus, onuſta
Furtivis ſpoliis, quæ credulus obtulit hoſpes.
Hanc (quibus eſt cordi fallax pietatis imago)
Luxuriem jactent, at nos juvat eſſe modeſtos,
Dum licet eſſe piis: at noſtra ſacratior ædes
Cuſtodem vivâ deſcribit imagine Matrem,
Et Divam referens ſolitâ pietate, decoro
Cultu etiam geſtit Divam aſſimulare Mariam,
Regis Idumæi pompas, faſtumque peroſam.
Quin tandem converte oculos. Rude ponè ſacellum,
Relligione diu ſacrum, ſenioque verendum,
Cœlis nota domus (qua vectigale quotannis
Obſequii pendunt compulſi ſymbola cives)
Increpat artificeſque moras, tardoſque patronos.
Ah pudet! his cytharam deponas flebilis aris,
Votivamque Deo ſuſpendas, Muſa, tabellam.

Gul. Fox Equit. Aurat. fil.
è Coll. Magd.

In

In exoptatiſſimam Sereniſſimæ

ANNÆ REGINÆ

INAUGURATIONEM.

Gratulatio.

QUid nunc Batavus, quid Lodoix gravi
Nondum ſubactus Marte, quid impotens
Iber, quid Eugenus revolvat,
Heſperii populator arvi;
Triſtiſque belli crimina & exitus,
Ludoſque Fortunæ, O mea Pieri,
Omitte ſectari, nec aptes
Exiguis pedibus cothurnos.
Non, ſi cruores purpurei Padum
Tingunt perempto milite turgidum,
Tu, Thame, fœdaris, nec undas
Miſcet Iſis tibi decolores.
Beatur alta Pace *Britannia*,
Circum ſuperbis cincta triremibus;
Mavortis externi colonus
Impavidus ſua rura ſulcat.

Gratam

Gratam *Britannis* Cælicolæ ſimul
ANNAM dederunt, mentibus illico
Curæ reſidunt, & querelæ,
Et dubii fugiunt timores.
Ancilla Pacis Juſtitia, & Fides,
Et priſca Templis Norma revertitur,
Qualis ſub *Edwardi* beatis
Crevit & auſpiciis *Elizæ*.
Galli paventes dum male ſuſtinent
Duros lacertos vimque *Georgii*,
Ardentis impermiſſa quondam
Bella ſequi, vetitaſque lauros;
Tu, *Diva*, flores, nobilis Otii
Rite ordinatis Splendida muniis,
Romanamque & audacis *Socini*
Arma premis, ſine clade victrix.
Mox cedet Error, & Mala Dogmata,
Et *Latitudo* dedecoris parens:
Et juſta Libertas Honeſti
Limitibus ſtatuetur arctis.
Cuſtos Britannæ Gentis, & imperi
Honore major, quo Superis minor;
Non Marmor æque, non diſerta
Barbitos egregii Poetæ,
Claram triumphis tam bene poſtero
Te tradat ævo, quam *Fidei* ſacræ

Tutela

Tutela felix, & verendæ
Innocuum moderamen *Aræ*.
Hac Arte nixus, (quem vetus *Albion*
Suis *Britannis* annumeret volens)
Hac Laude *Conſtantinus* una
Mille viget potiore ſignis.
Utcunque cæſi quippe *Licinii*
Vindex refulget; mox *Synodo* aſſidens,
Dicetur, aſtructiſque Templis,
Exiguas decoraſſe palmas.
Major fugato ſcilicet *Ario*,
Quam cum relictis finibus Italis,
Migraret Eoas ad urbes
Victor ovans, aliamque Romam.

Petr. Foulkes A. M.
Ædis Chriſti Alumnus.

In

In Obitum Celsissimi PRINCIPIS *GEORGII* PRINCIPIS DANIÆ.

Ad Reginam.

MUltis caducum dum lacrymis virum,
Regina, luges; dum cineres super
Ploras calentes; & sepulchro
Ferre breves properas honores:
Præsens dolenti, funereæ comes
Camœna pompæ, *Pieriis* sonat
Heroa chordis, nec sileri
Nocte sacram patietur umbram.
Audis, frequentes ut recinant lyræ?
Audis? per arces *Aonias* sonus
Orphêus errat, GEORGIUMque
Multo iterat *Rhodycina* plectro.
Hic clariorem volvit originem,
Et stemma priscis *Cæsaribus* nitens;

At ille mirandas juventæ
Primitias, teneræque dextræ
Conamen audax; ut pius hostium
Inauspicatos reppulit impetus;
Fratremque captivum reduxit,
Non sine Diis animosus ultor.
Dum molliori carmine quispiam
Tædas jugales, & thalamos canens,
Fidos amores, heu breves! heu
Pollicitos meliora! flebit.
Atqui poetæ, quos generosior
Accendit ardor, Musaque bellicis
Assueta palmis, multa GEORGI
Gesta super memoranda tradent
Ævo futuro; seu similem patri
Ponant *Gradivo*, quassaque mœnia,
Urbesque vastantem, fugatis
Retro equitum, peditumque turmis:
Seu, more *Neptuni*, æquoreum canant
Sceptrum gerentem, frænaque *Gallicæ*
Injecta classi, dum reportat
Occiduas, spolia ampla, gazas.
Fors & recentes inter adoreas,
Vates futuri temporis exitum,
Magnosque menses, & propinquos
Prospiciens referet triumphos.

O ille felix plus vice ſimplici
Poeta, verſu qui decus imperſi
Creſcentis, æternamque laurum,
ANNA, tuis habilem capillis
Æquare poſſit! me patrius labor,
Me conſulentis munia curiæ, &
Rebus *Britannis* mens paranda,
Caſtaliis revocant ab undis.

Edvardus Harley

ex Æde Chriſti, Sup. Ord. Com.

In

In exoptatiſſimam Sereniſſimæ

ANNÆ REGINÆ

INAUGURATIONEM.

QUalis ab Alveari ſonitus jam Rege perempto
Confuſæ redit urbis: apum dum Curia habendis
Concilia exequiis adit; ac prætoria circum
Infuſum vulgus: necdum pervaſit ad oras
Imperii, trepidans cerata per oppida rumor.
Haud alios Auguſta dolens jam pectore motus
Concipit: haud alio complentur mœnia luctu:
Famaque finitimas volat importuna per urbes,
Feralem intendens vocem; qua territa Vectæ
Inſula, & indigenæ Cambri, fonteſque Sabrinæ,
Ac juga Cornubiæ, ſubjectæque Orcades Arcto.
Urbe domus mœſtæ tota & penetralia Divum
Regis in exequias atro velantur amictu:
Ater equos, ater currus inducitur omnes.
Non labor, aut operum ſonitus: ſolennia fecit
Ædibus artificum clauſis dolor otia; nec quæ
In numerum alternis ferri gemit ictibus incus.

Pullati Proceres, & circum Regia cives
Tecta fluunt: atque is populi concurſus in urbem;
Ac ubi jam veteres iniere Feralia ludos.
Quid tamen, O Mater, nequicquam has inſcia pompas
Funeris exequeris? Superum ad promiſſa recedens
Concilia, hoc reddi vetuit ſibi pignus honoris.
Nec mora: feſta dies aperit. Regina corona
Vincta caput, comitata viris, comitata miniſtris,
Per populos fertur certe Dea: qualis ab Argis
Aſtra ſuper rediens Juno; aut Venus alta Cithæra
Invehitur, bijuges curru ſubjuncta columbas.
Quin adſis in honore Deæ: tum vota triumphis
Velet palma comas, mutatoque aurea peplo
Pendeat ex humeris chlamys; atqui rarior auri
Fulgorem violæ contriſtet purpura nigræ,
Plurimaque intextas agnoſcat palma cupreſſos.
Quin potius Regi ſacratum mole ſepulcrum
Erigis, auguſti voti rea? Cæſar in armis
Integer, & juxta *Maria* è marmore ſpiret,
Artifici invidiam, nobis motura dolorem.
Præſertim ex omni relegenda ubi parte videnti
Seſe facta ferunt: ſocios ſeu ponat in oſtro
Sublimes opifex, Europæ fata tenentes
Lancibus æquatis; ſeu ſolum Marte ſecundo
Scindentem foſſas, & agentem fulmine Gallos.
" Incipe Mænalios mecum mea tibia queſtus.

Qualis

Qualis humum ſcabies afflatam fulminis alis,
Talis agrum, quo lapſus equo Rex contudit oſſa,
Inficiat: votis non annuat uber habentum,
Nec ſegetem, ſi campus erit; ſi prata, nec herbam.
Quot ſonipes quæ dira luit nothus, improba furto
Progenies, neque bella ſequi nec idoneus arvis!
Degener omne mola ſenium terat, inter aſellas;
Ejectique canum maciem jejunia culpent.

Te puerum in cunis circumſtetit irrita *Viri*
Seditio; utque diu fruſtra effudiſſe venenum
Senſerit, invidia diruperit ilia peſtis.
Te quondam Batavum rapientibus oppida Gallis
Servata agnoſcunt; certant tibi tradere faſces;
Flandriaque impubem Divum venerata per urbes.
Anglia in amplexus dotem ſeſe obtulit ultro.
Feſta tibi repetunt Scoti: ac cum flumine Boinæ
Omnibus intextum miratur Hibernia ſcenis.

Vindice Te queritur Lodoix; victoria quantum
Hæſerit, ad juſſos referens veſtigia fines.
Soſpite Te vinctus, diſceſſu liber in aſtus
Ire iterum patrios, iterum rata fœdera furto
Diſſuere, & tacitas acies effundere campis.

Te terras linquente, cito heu commune retexunt
Concilium Gentes: populos Germania differt
Secum humiles: centum Thetis interfuſa lacunis
Perfugium nimio Batavis emit omnibus undis:

Flandriaque ad foſſas ſeſe deſerta receptat,
Præſidia inſtantum, veterum monumenta malorum:
Ac trepidas rerum Rhenus ſtupet inſcius urbes.
Haud ſecus omnipotens, perfecto ubi temporis orbe
Cœlorum abducto compages ſole remittit:
Diſtrahet immunes furor in diverſa planetas,
Impete quemque ſuo: Venus inter ſidera quæret
Incomitata viam: lunas hinc Jupiter aufert,
Inde ſuas Saturnus; & ipſa hæc avia Tellus
Diducto deſerta choro, ſub nocte reponet
Æſtatemque, hyememque: ac clauſa ad limina Divum
Tempus in æternum ſepoſta falce quieſcet.
O Dea, terrarum curam cui tradere viſum
Cœlicolis; cape res hominum, ac ſuccurre relictis.
Seſe mole ſua tenet, æternumque tenebit
Anglia, inacceſſam ſcopulis: at cætera rerum
Reſpice. Te non hæc anguſta in munera terris
Concedunt, ne finge, Dei: ſed cogere in unum
Disjuncta imperia, & populûm ſarcire ruinas.
Te pietas, Te pulſa Fides, comitantur ovantes;
Te dudum ſciſſa lugens Eccleſia palla,
Et Pax, alma ſoror: nam quis Te ad bella laceſſat
Demens? dum comites circum, tua cura, Britanni;
Et Tuus ad dextram cum fulmine Jupiter adſtat.

Tho. Biſſe A. M. è C. C. C.

Clades

Clades Hocſtadienſis.

ERgo iterum undanti *Bavarûm* perfuſa cruore
Pingueſcunt Arva, & late vaſtata recenti
Cæde tepeſcit Humus, veteri quæ funere ſurgit
In tumulos, *Suevûmque* urnis, atque oſſibus alba
Guſtavi teſtatur adhuc miſeranda triumphos?
Explicat hîc *Britonum* meliori Marte Catervas
Malburius, *Galliſque* immani ſtrage ſubactis,
Principis Infidi faſtus contundit inanes,
Imperiique ruentis opes fœlicior armis
Defendit, quas fruſtra olim concuſſit *Adolphus*.
O! Pugna æternum memoranda, O! inclyta Clades
Hocſtadiæ, æratis O! inſcribenda Columnis,
Perpetuumque decus latura *Annalibus Anglis*.
Tallardus narret lacrymans infanda Diei
Illius excidia, & lectiſſima corpora *Gallûm*
Proſtrata, everſas turmas, victique dolorem
Borbonii, & diri haud delenda opprobria belli:
Ut ſubito ponte, & contextis cratibus undas
Angligenæ tranant; fallaci lubrica cœno
Agmina vix firmant greſſus, ulvaque laborant,
Ambiguiſque trahunt veſtigia lenta lacunis:

Dum circum volitat tempestas plumbea, fossas
Transiliunt, mediumque acres rapiuntur in hostem
Impete fulmineo, pavor undique & undique cædes,
Et gemitus morientum, atque illætabilis horror
Ingruit, obstantem *Galli* impelluntur in alveum,
Danubiusque tumens spumanti sanguine crescit:
Blenimiæ interea trepidantes morte propinqua
Obstupuere Acies, victricia signa coactæ
Malburii agnoscunt, nudataque valla relinquens
Exorat pacem positis *Exercitus* armis.

Haud secus *Æacides Trojanorum* agmine *Xanthum*
Implevit stagnantem, aggesta cadavera fluctu
Manca natant fœdo, immisso furit intus aquæ vis
Vulcano, saliceque crepant, virgultaque flammis
Correpta, & pisces squamis horrentibus ardent.

Jam taceat fictos venalis Musa triumphos
Borbonii, & *Rheni* superantes flumina *Celtas*
Descripti toties; sileat *Boilavius*, alter
Parisiis Flaccus, Satyræque & Laudibus aptus;
Sin vero calamos, Vates venerande, resumas,
Hanc saltem Lobem *Lodoïce* intexere fastis
Mittas; aut tristi deplores carmine cæsos
Heroas, devota probrosis cladibus arva
Hocstadiæ, turmasque fugaces, vulnere tardas
Innumero, & cæcum per iter, nemorumque recessus
Elapsas, sparsoque rubentes sanguine dumos:

Ast

Aſt O! *Tallardo* indulge, atque obtende dolori
Captivi velum Ducis, & miſerabile Nati
Funus deflentis; nunc corde exæſtuat imo
Dedecus infixum, & caſus crudeſcit acerbus.
O! quam diſſimilis, quantum O! mutatus arenas
Saxonidum repetis, qui quondam fœdera Regum
Sanxiſti Orator, nunc ipſe inglorius hoſpes
Malburii ſequeris currus, ornaſque triumphum.

Henricus Hedges Honoratiſſimi *Caroli Hedges*
Equ. Aurati & Reginæ à Secretis fil. nat. max.
& Coll. Magd. ſup. Ord. Com.

ORMONDUS TERTIO *HYBERNIÆ* PRO-REX *Anno* 1677.

UT (Sheldone) tui patuerunt limina templi,
Muſarumque ſacri ritus, atque annua Phœbi
Orgia ventarunt; regum celebranda triumphis
Orgia; vel ſcenis bellorum implenda cruentis,
Vel palma heroum, vel amœna pacis oliva:
Protinus occurrunt vatum numeroſa caterva,
Qui Regum exuvias, procerum ſcrutantur honores,
Et clarum quicquid fati monumenta recondunt,
Aut cognata iſtis, æterna volumina famæ.
Magnus ubi primo ſeſe inſpicientibus offert
ORMONDUS, titulis patriiſque ſuiſque ſuperbus;
Non illum vario luſit fortuna favore,
Neve ſuos proavos; illorum fixus ad omnem
Progeniem procedit honos, quemcunque requiris
Hac de gente, illum noſces de principe natum.

Quos

Quos faſces, quæ geſta canam; quo carmine magnum
ORMONDUM aggrediar? tu audacibus annue cæptis
Mecœnas, præſenſque tuas tu dirige laudes;
Inclyta tot ſolus poteris numerare trophæa,
Tot ſolus faſtos veſtris ſignare triumphis.
Quanta tui quondam fuerant primordia? quanta
Virtus emicuit gemmanti in flore juventæ?
Moverat audaces fera cum Juverna tumultus,
Armataſque acies, & longi ſemina belli:
Qualia vix perimant ſummæ conamina dextræ.
Quando aulam CAROLUS luſtrans & pectora magna
Angliadum; tantas tuto qui tractet habenas,
Abſentiſque vices peragat, frangatque rebelles;
ORMONDUM videt eſſe parem: quo præſide Jernæ,
Et decus imperio redeat, tenebriſque ſolutæ
Triſtibus imbelles auſint exurgere leges
Quis tibi Martis amor? qualiſque efferbuit æſtus
Sanguinis? & quantis arſerunt pectora votis?
Optato lituum tonitru, bellique cruenta
Tempeſtate frui, & ſtrage exundantibus arvis?
Sic leo natali ſolitus latitare caverna,
Uberibuſque tener paſci; cum horreſcere ſenſit
Ungue pedes, crebriſque armari dentibus ora,
Reſpuit imbelles epulas, & matre relicta,
Getulo comes ire patri, pecudique minari
Geſtit, & haſtati tabo ſordeſcere cervi.

Neve minor ſucceſſus erat, tua fulmina campis
Salmonei majora ſonant, it denſa ſagittis
Nubes, lethalique armati grandine nimbi:
Nil arces, nil caſtra juvant, ſpes irrita valli
Concidit, obſeſſæque patent munimina portæ.
Te paſſim ſequitur fixis victoria pennis,
Detergitque ſacra ſudantia tempora lauro.
Heu fruſtra tantos retuliſti ORMONDE triumphos
Nequicquam CAROLO pacis fundamina ponis:
Te pellente, fugit placidam Gradivus Jernam,
Dilectis exutus agris, mox Anglia numen
Accipit infelix, flammiſque ingentibus ardens,
Pacatos deſpexit agros, ſanctamque quietem
Anglorum, & CAROLUM longæva pace togatum;
Atque omnes ſubito diſperſit in arma furores,
Laxavitque viam fatis, & ne ulla maneret
Gens intacta, omnes ſtragem diviſit in oras.
Interea quantas volvit ſub pectore curas
ORMONDUS! quanto tendit præcordia voto,
Pro patria, & CAROLO; pacatam linquit Jernam,
Securuſque ſui, mediis ſeſe ingerit armis:
Nec fruſtra? tantæ perterrita numine dextræ
Torpuit hoſtilis turma; ac hucuſque minata
Siſtit, & imbelli neſcit procedere greſſu.
Sed brevis illa mora eſt, à te depreſſa, reſurgit
Vis fati, cæcoque irarum turbine ducta

Irruit,

Irruit, & Caroli ſolum ſatiata cruore eſt.
Qualiter hiberno ditatus vortice rivus,
Saxa nemuſque rotat ſecum, ripaſque flagellat;
At ſi quis ſcopulo graſſantes comprimat iras,
Frangitur, & ſciſsâ molem circumſtrepit undâ:
Mox reparat fractas vires, agroſque pererrat
Liber, & indomito populatur paſcua fluctu.
Tanta patris cauſâ; ſed plura ORMONDE tuliſti
Pro nato, quando peregrini ad littoris oras
Inſequeris profugum, ſtrictos ubi tutus in enſes
Irruis, ardenteſque globos, igniſque procellas,
Vulneraque, & mortes, & mille negotia fati,
Intrepidus, vitæ pariter contemtor & hoſtis:
Talis ubique fuit virtus, quam nulla ſilebunt
Æva, nec umbroſa condet ſub nube vetuſtas.
Poſtquam parta quies, belloque emerſa cruento
Anglia, pacatos geſtit gaudere Britannos;
Te extemplo invitum blande quæſivit, & ultro
Ambit honos; rurſus priſcos adſumere faſces,
Atque iterum frenos tractare rebellis Jernæ.
Hic ubi te, pacem doctam, caſtamque colentem
Vidiſſet Pallas; tibi ſe commiſit, & arces,
Muſarumque domus omnes, oracula Phœbi
Per geniuin crevere tuum, nec dignius unquam
Aonides noſtræ ſeſe meminere locatas.
Nec tamen hic ſe ſiſtit honos, neque ſunt tibi Muſæ

Mollia

Mollia regna ſatis; majora inſignia poſcit
Tanta manus, quantum nulla unquam meta coercet,
Hi forſan multis poterant contingere faſces,
Sed meritis ſolum redeunt: tu ſolus Jernam
Ter moderare audes: O felix inſula, Rege
Te toties gaudens, nunc cladem & vulnera jactes,
Barbariem, moreſque rudes, ſobolemque rebellem
Loyalidas; damno frueris ſub vindice tanto.

Ut CAROLUS nova ſceptra dabat, mox fulminat aula
Celſa Jovis, gratamque facem per inane vibrantes
Proſpera contorti ſonuerunt omina nimbi:
Quæ placide accepit Nemeſis, cœlique ſenatus,
Et Montroſſus ovans, & Northamtonius heros,
Hoptonuſque, tui comites; turmæque frequentes
Cœlicolum, tecum CAROLI vexilla ſequuti;
Atque ſuas grates fatis, CAROLOque rependunt.
Nuncia lætitiæ celeri mox fama volatu
Moverat Oxonidas, ſacræ riſere ſorores,
Et ſtrepuit felix Helicon, fluxitque Aganippe
Blandior, & dulci fontes cecinere ſuſurro:
Noſque omnes juſſit Phœbus celebrare triumphos.

Sed quo Muſa rapis ORMONDUM expectat Jerna,
Atque jubet veſtras confeſtim linquere ſedes.
En laxata gelu conſurgens inſula, gratos
Lambere amica pedes; Nereus criſpantibus undis
Sternit iter, blando teſtatus gaudia fluctu;

Et

Et quæque innocuo lascivit bellua ludo.
Ergo vale, ad notas ORMONDE relabere terras,
Et repete antiquam tranquillo pectore pacem;
Nec te turbet onus CAROLI, nec pondera sceptri
Angliaci; nostræve procacis jurgia Musæ;
Sit tibi Dux æterna quies; pacataque magni
Vis animi, nullo facilis terrore moveri.
Qualiter ætherei vortex stellatus Olympi,
Qui temnit nimbos humiles, ventosque sonoros,
Et tuto exaudit fulmen, pluviamque ruentem
Sub pedibus; nullo temeratus ab imbre Tonantis,
Perpetuum patitur longæva pace serenum.

Carol. Pindar, Baronetti filius
è Coll. Ænei Nasi.

In

In Obitum Celsissimi PRINCIPIS *GEORGII* PRINCIPIS DANIÆ.

CUR non, ut olim, Diva sciens lyræ,
Audis vocantem? flebile cur fugis
Movere plectrum, luctuosi
Carminis officium recusans?
Nam nec jocosum fas tibi perpetim
Sperare pensum: nec vacuum ciet
Testudo luctum, nec dolentem
Destituit sua fama Musam.
Non sic *Mariam* passa silentio
Perire; non *Glovernus* ubi occidit,
Obmutuit torpens Camœna:
Quidni & in hunc facilis laborem
Se tradit ultro; Surgite Vos, quibus
Feliciorem *Cynthius* indolem

Indulsit.

Indulſit, *Auguſtoſque* Manes
Non humili memorate cantu.
Vos *Regiæ Arces*, Tuque *Domus* bonæ
Nutrix juventæ, jure mihi Ædibus
Prælata cunctis, quas benignus
Ingenuo lavat *Iſis* amne,
Wolſæa Sedes! O citharæ potens!
O ſueta centum vocibus eloqui!
I, pange carmen; I, recentem
Adde Ducis tumulo coronam.
Dic quo per hoſtes impete GEORGIUS
Inceſſit acer: dic ut ad arduos
Contendit auſus, *Sueonum*que
Arva rubro madefecit imbre.
Dic ut phaſelis *Angliacis* viam
Munivit immenſum Oceanum ſuper;
Seu merce *Eoa*, ſeu redirent
Borbonidum ſpoliis onuſti:
Ut conjugalis fœdera vinculi
Intaminatis ſplendide honoribus
Servavit, exemplum futuris
Perpetuum faciens maritis.
Hæc uſque decantanda memor tuæ
Committe pubi, non ſterilis parens:
Laus GEORGII præbebit omni
Materiam citharæ perennem.

Sic

Sic blanda fauſtum ſpondeat exitum
Fortuna cœptis; ſic Tibi mœnia
Superba ſurgant, ſoſpitante
Aldricii Genio Penates.
Sic Te faventis *Cecilii* integra
Virtus honeſtet: ſic aveat Tuus
Dici *Trelaunus*, Wintonenſis
Grande decus columenque mitræ.

Ant. Alſop, S. T. B.
Ædis Chriſti Alumnus.

In

In Obitum Auguſtiſſimi & deſideratiſſimi Regis CAROLI II.

Thameſis & Iſis flentes.

Tham. CUR non, Iſi, ſimul quoniam confundimus undas,
Tu ſacer *Oxoniæ* fluvius, *Londino* ego, cur non
CAROLON Oceani domitorem, CAROLON olim
Nomen honoratum ambobus, dum vita manebat,
Nunc, poſtquam heu nimium crudeli funere raptus
Occidit; implevitque polos, ambobus acerbum;
Proſequimur ſimul atque alterno carmine flemus?
Ille mihi, tibi ſemper erat Deus ille; tributum
Illius ante pedes pariter conjecimus ambo.
Ergo age, fare prior, ſiquas Rhedycina querelas,
(Namque huic ſemper erant verſus, cum dicere laudes
Cæſaris, aut magnos cuperet celebrare Stuartos,)
Siqua tuam propter meditetur carmina ripam,
Dic prior; Auguſtæ referam dein ipſe dolores.

Iſis. Hei mihi! quis furor eſt luctus iterare querendo
Et vexare recens, crudelis Thameſi, vulnus?
At quoniam juſto libet indulgere dolori,

Quas

Quas mœstus vidi lacrymas, quas conscius hausi,
Expediam, in quos se solvit Rhedycina furores.
Namque aderam, cum per littus resupina jacebat
Non lauro velut ante caput redimita, nec illa
Quam semper coluit quercu, quam semper amavit,
Ex quo Pana suum cepit fœlicior arbor
Et tutam capiti devoto præbuit umbram;
Sed frontem tristes violæ atque invisa cupressus
Turpabant; jacuit vicina deses in herba
Tibia, non CAROLI quondam celebrare triumphos
Immemor, ignavum nunc primum & inutile lignum:
Haud procul (heu neglecta nimis!) procumbere vidi
Illa ea conspicuæ divina volumina famæ
Quæ scripsit tristi mœrens in carcere Martyr,
Æternumque sui simulacrum vivere jussit?
Legerat hæc tristis Rhedycina; at forte dolenti
Exciderant sensim, ac manibus delapsa ruebant.
Talis erat tum Nympha, atque hæc incondita (tantus
Qualia nempe dolor poterat) jactavit in auras.
O CAROLE! O nostris toties memorate Camænis!
Sospite quo, magna incessi; cui serta quotannis
Nectebam, ac merita cingebam tempora lauro:
Cur ubi summa dies, ac vinci nescia Clotho
Te rapuit, cur non & me quoque Parca trahebat
Haud segnem tecum comitem sunul ire sub umbras,
Aut famulam tua pone sequi vestigia tardam?

Non

Non ſi talis eram, qualis quondam ubera nutrix
Hæc tibi præbuerim puero, pariterque JACOBUM
Hoc gremio, his licuit fratrem complectier ulnis;
Aut hæc ſi tantas jactarent corpora vires,
Quantas, civili cum ferveret Anglia ferro,
In patris, inque tuam duxi officioſa ſalutem?
Non tamen optarem miſeram producere vitam,
Aut trahere exoſam, te decedente, ſenectam:
Ergone, cœpit ubi plebs inſtaurare furores,
Undique cum ſteterit Catilina, atque undique Brutus,
His te, noſter amor, protexi, CAROLE, palmis.
Hoc fovi gremio caput, illæſumque remiſi!
Hoſtibus O fruſtra ereptus, ſi denique morbi
Occidis inſidiis, & iniqui crimine cœli?
Ergone, cum fati tardaret Jupiter alas,
Et conjurantum ſociatam fregerat iram,
Votivam Superis ſuſpendi læta tabellam.
Qua multo exitio fœtas, & milite multo
Nudavi latebras, atque armamenta coegi
Prodire è tenebris, lucemque invita fateri?
Fruſtra conſiliis damnata rebellio noſtris,
Si mea lanificæ ſpernant decreta ſorores;
Si mortis nullo eſt ſtringenda licentia nodo.
Tales nequicquam ſudit Rhidycina querelas,
Atque aſtra, atque Deos crudeles nomine dixit.
Hos mea Nympha; tuos nunc exprime, Thameſi, luctus.

Tham. Auguſtam vidi ſola ſub rupe cubantem;
Vidi, ut nunc ſævis innoxia pectora palmis
Læſerit, ut noſtras lacrymis nunc auxerit undas:
Turrigeros in humum tandem dejecit honores,
Et dixit; Diadema vale, mea gloria quondam,
Donec vitales carpebat CAROLUS auras;
CAROLUS; auſpice quo, reliquos quantum ille Monar-
Heroaſque ſuper celſo capite arduus ibat, [chas
Tantum alias inter caput hoc ſeſe extulit urbes.
O memoranda dies, O luce ſacratior omni,
Qua ſtella emicuit naſcentis conſcia Divi
Auſa diem rapere, & toti ſe opponere Phœbo!
Fœlix, quæ primos vagitus auribus hauſi,
Reptanteſque manus, atque incunabula vidi!
Tum me non vicit nec Creta, nec inclyta Delos,
Hanc quamvis Deus, atque illam claraverit infans
Ortygiam Phœbus, nemoroſam Jupiter Idam.
At quæ nunc facies? quantum nunc mutor ab illa?
Poſtquam tot nuper populis terriſque ſuperbus
Nunc jacet exanguis, ſed non ignobilis umbra,
Ut gemui? quis me miſeram tunc perculit horror?
Cum jam ſemianimis chari per pectora fratris
Sparſus in his dictis animam expirarit anhelam:
" Hunc populum, dono genitor mihi quem dedit olim
" Do tibi; CAROLIDEN te nunc habet ille ſecundum;
" A te defenſum ſemper, mihi ſemper amatum
" Accipe,

" Accipe, & extremum munus morientis habeto.
Quis, locus, aut quæ vos habuit tunc terra, Britannæ
Dii tutelares gentis, cum dixerit ista
CAROLUS, ac desit mortali vescier aura?
Nequicquam crebris cumulata altaria donis,
Nequicquam reges Diis se jactare propinquos
Contemtrix Superum, & fanatica diceret ætas,
Si non incolumem servassent fata JACOBUM;
Si non ille Deos absolveret, ille superstes
Propitios Superos, cœlumque ostendit amicum.
Ille meus quondam vindex, cum territa Belgas
In caput hoc vidi ruere armis; ille Britannum
Et patriis regit, & fratris virtutibus orbem.

Georgius Smaldridge
Ex Æde Christi.

In

In Obitum Auguſtiſſimi & deſideratiſſimi Regis CAROLI II.

DUM Cirrha torpet, dum taciturnior
Permeſſis hæret piſcibus incolis;
Rigetque lugubris Thalia,
Ut lapides, citharam ſecuti:
Audax Apelle, promе benignius
Succos loquaces; Tu miſeram catus
Expande ſcenam, nobilemque
Artifici calamo dolorem.
Attendis? Ingentem exprime CAROLUM
Longa ruina fuſum, & opimius
Fati trophœum, præficaſque
Ad tumulum meditare Gentes.
Sic ante magni buſta Macedonis
Qui victor Orbem fleverat, invicem
Ploravit Orbis, diſſonumque
Miſcuit officium doloris.
Primum memento, ancilla manus nigrum
Accendat ignem; tela ſuper focum
Erepta Mauris, & capaces
Exitii pharetras, & arcus

Large

Large reponas; ſiquid adhuc ſuper
Avarus optat Mulciber, injice
Ruptaſque puppes, & relictum
De Batavis ſpolium triumphis.
Hinc cingat ignem, more ſatellitum,
Luctuſque, pallorque, & madidus dolor;
Hinc taxus areſcat, ſuumque
CAROLIDEN comitata quercus.
Hac parte, matrem ſiſte Britanniam,
Sed veſte turpi & crinibus horridam;
Qualiſque viſa eſt, cum notaret
Terribili rudis arte vultum:
Procantis abſint oſcula Nerei,
Et falſus error; rectius Inſulam
Tuæ cadentes luctuoſa
Circumeant lacrymæ corona:
Suſpiret, eheu! (aëra pingere
Si noſcis,) eheu! Wallica montibus
Echo reſultet; & receptæ
Fœnora reſtituat querelæ.
Tethys peremti Carolidæ cliens,
Longo ejulatu funera CAROLI
Emurmuret, quacunque ponti
Lata patent Britonumque regna.
Facunde Pictor, reſtat adhuc tuæ
Pars magna curæ: Eccleſia, candidas

Mutata veſtes hic, in uno
Faſſa patrem dea, filiumque,
Stabit, decenter triſtis; & uvido
Effuſa planctu, quod, vice mutua,
Suam illa labentem tueri
Non potuit precibus columnam.
At quæ colorum rite cadentium,
Quæ tanta divini emphaſis ingeni,
Pompamque feralem, ſuique,
Alma parens, Rhidicyna, luctus
Immane quantam pinget hyperbolen?
O Lux, maligno debita calculo!
O culpa faſtorum! execrandi
O pudor opprobriumque Jani!
Mortale numen! tene heliconidum
Nutrix dearum, quæ puero tibi
Protexit imberbes honores,
Enſe ſimul calamoque fortis;
Tene illa ſatis lenta rebellibus,
Et perduelli grande decus Stygi
Impune tradet? nec canendo
Pyramidem tibi ſempiternam
Attollet ingrata? ante caput (neſas)
Chelſæa moles pulvere collinet;
Ante Angla ſuccumbet rebelli
Terra jugo, Batavoque pontus.

Ed. Haynes ex Ædę Chriſti. In

Omnia Vanitas.

SOL, Mundi Teſtis, qui purâ lampade cinctus
Æternas agis excubias, nullique videndus
Illæſis oculis, unus tamen omnia cernis,
Terraſque tractuſque Profundi, atque Æthera magnum:
Tu vigili genus humanum percurrere tædâ
Diceris, & paſſu gentes luſtrare diurno,
Quot tellus gremio complectitur omnis ab Indo
Qui matutinum jubar, & Cunabula lucis,
Infantemque diem primus miratur ad Indum;
Qui jacet Occiduis longè disjunctus in oris
Atque aliud Cœlum, neque ſidera noſtra, tuetur:
Ergo refer, Sol alme, refer, ſi forte quid uſquam
Videris exemptum fato, longeque remotum
Mortales extra caſus, & jura caduca,
Quod menti humanæ modulo reſpondeat æquo,
Jejunumque animum Saturet, ſpemque expleat omnem,
Perfectum plenumque & ab omni parte beatum;
An potiùs larvas rerum, & mendacia blanda
Naturæ, magnumque *Nihil* ſub imagine falsâ
Captamus miſeri? Qualis cum fortè Viator
Decumbit laſſus, ſomnumque indulget ocellis,

Seu dulces nati, ſeu chara apparuit uxor,
Ille amens charam uxorem natoſque fatigat
Amplexu vano abſentes, ille oſcula mille
Dividit huc illuc, & brachia circumfundit
Ingratis nequicquam Umbris, negat aura teneri.
Ventis & fumo mortales paſcimur ex quo
Eva Parens ruit in lævum, Seroſque nepotes
Traduce fœdavit culpâ populumque futurum.
Tempore poſt longo Graii venêre Magiſtri
Feceruntque ægris mortalibus ingentem Spem;
Magna ſuper Fato, ſuper ipſis magna locuti
Perfectiſque Bonis, Vitaque & Fine beato:
Ridemus Graiæ promiſſa immania barbæ,
Et *Stoæ* faſtum, & mendacia docta *Lycei*.
Qui ſolidum in terris quidquam ſummeque beatum
Quæſit anhelus & ardet hiantia ſiſtere vota,
Ille idem in Scorto fidos expectet amores,
In Medico expectet Pietatem, in Milite nummum.
Ipſe Ego quem quarti brevis experientia luſtri
Pluribus edocuit quàm lubrica vota ſequamur
Ignari, quàm ſollicito ludibria Sortis
Venemur curſu, ſtolidæque inſomnia mentis;
Ipſe Ego terrenas jamdudum ſpernere fæces
Incipio, jamdudum inſanæ Gaudia Plebis
Deteſtor, Fatique dolos Mundumque jocantem.
O Hominum furor! O nondum finitus Oreſtes!

Et ſpes, & toties repetitæ nauſea vitæ!
Quis mihi quis luctantem animam & majora volentem
Eripiet terris, patrioque reponet olympo?
Non omnes arbuſta juvant & degener alga.
Nam quid Ego moror in terris, ubi ſiqua voluptas
Obtulerit nobis ſeſe & donârit habendam,
Illa leves extemplo humeris accommodat alas,
Erumpitque ulnis Domini, invitumque relinquit
Hen! nimiùm fugitiva, nec audit ſæpe vocantem.
Haud ſecus *Euphrates* quo non præſtantior amnis
Alluit *Eoas* Gentes, *Nabathæa*que Regna,
Euphrates Nilo, *Euphrates* formoſior *Iſtro*,
Edenum quoties allabitur aurens Hortum,
Et fortunatæ lambit confinia terræ,
Ripa uxor pulchri curſum retinere Mariti
Optat amans, ſemperque frui præſentibus undis,
Ille amplexantem, curvamque ad baſia Nympham
Crudeli fugit amne celer fluctuque ſuperbo.
Fallor ego, an volucris fio? pennaſque roganti
Aptavit pennas aliquis, jam tollor in altum,
Jam terras procul & cœnum natale relinquo,
Cognati dulces, charique valete Sodales!
Tuque, *Etona*, vale! Quam ſemper amore fideli
Uſque colam, non tu labêris pectore noſtro,
Anglorum donec *Thameſis* regnator aquarum
Ad fontes verſo præpoſterus amne redibit,

Aut Arx *Vindſoræ* nullo delebilis ævo
Ponet humi caput, & cineri miſcebit honores.
Interea liquidi ſuſpenſus in æquore cœli
Remigibus plumis, circum omnes undique terras
Luſtrabo, quantumque ſit uſquam rebus inane,
Splendor, opes, & forma fugax, & fama perennis.
Quænam illæ moles? *Pharii* monumenta *Canopi*;
Agnoſco inferias Regum, luctumque ſuperbum
Pyramidas: Proh Stulte labor! Crediſne ſepulchro
Hîc ſitus eſt Magnus? Saxum, mentiris, in illo
Non *Hophræ* Tumulo, nec de *Pharaonibus* ullus,
Sed pulvis jacet, & multum deforme Cadaver.
Verte oculos, Lydaſque arces, hoſtemque Poëtis
Reſpice Pactolum, & Græſi radiantia Regna;
Ille quod in cellis Hermi cumulâſſet arenam,
Et flavas (Aurum dixerunt nomine) glebas,
Auſus erat ſpirare Deum, dicique Beatus;
Macte opibus, Rex magne, tuis & divite curâ,
Mox ferro hoſtili Regnumque Aurumque daturus
Magnificè miſer, & pinguis victoria Cyri.
Nunc Trojam adducto aſpicias pauliſper ocello,
Teſtem infelicem quanto veneremur honore
Mortales formam, quantiſque in prælia tædis
Accendat miſeros laſcivæ gratia frontis,
Et ſimilis lacti cervix, auroque capilli.
Scilicet hæc veſtri merces tam vitrea belli?

Et

Et talem tanto meruiſtis ſanguine prædam?
O miſer *Aſride*! Quid vitam impendere Marti
Uſque juvat, Soleſque decem donare Puellæ?
Dum Tu bella geris belli marceſcit origo,
Carpitur aſſidue Conjux, & quælibet hora
Prædatur formam, ſic Tu poſt tædia longa
Armorum, Scortumque domum portabis Anumque.
Non procul à Trojâ Phryxeam conſpicor Hellen
Quà ſpectat nitidam Contraria *Seſtus Abydum*,
Hâc olim, fama eſt, generoſis Gloria velis
Adduxit *Xerxen*, ille Orbem armaverat unus,
Inſuditque *Aſiam Europæ*, timuêre Tyrannum
Et Fluvii & Montes, & paſſus verbera Pontus:
At, *Tu*, *Perſa*, tamen nimiùm nè crede ſereni
Blanditiis Fati, & ſurgentis ad oſcula Sortis,
Te Salamis Sævo documento & clade magiſtrâ
Erudiet, quanto Criſtam Fortuna Superbam
Dejiciat faſtu, quàm rara ſeneſcere poſſit
Gloria, quàm nullæ defendant fulmina laurus.
Nunc placet Italiam, Tiberinaque viſere rura,
Et *Te*, *Roma*, parem Superis; An Tu quoque vana es?
Tu quoque vana nimis; nam quid tibi ſtemmate longo
Dimidias ſtatuas, & aviti inſignia Saxi
Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine jactat
Nobilitas? O Nobilitas inimica ſeveræ
Virtuti, curiſque bonis, vigilique labori.

Te Tituli, ventoſa cohors, comitantur euntem
Et Spes & Fraudes, Promiſſaque neſcia veri;
Factorum meritis ad rerum ſumma vocare
Semper amas, Faſtiſque ignavum inſcribere nomen.
Ohe! jam ſatis eſt. Tædet per ſingula Mundi
Ludibria, & nugas, laſſatum currere tædet,
Quærere quod firmum eſt dignumque cupidine noſtra,
Quærere quod nuſquam eſt. Sic cum cedentibus undis
Noa Pater Sacrâ miſit de puppe Columbam,
Illa omnes Cœli tractus, illa æthera totum
Luſtravit, ſi fortè aliquis ſeſe aſſereret mons,
Et capite erecto victricibus iret ab undis;
Sed cum nec Statio, neque ſedes ulla daretur,
Ut poſſit Siccâ tuto requieſcere plantâ,
Ad Dominum rediit defeſſa laremque priorem.
Eſt mihi mens (ſi parva licet componere magnis)
Pellæo ſimilis Juveni, petit uſque quod ultra eſt;
Nec Natura illi, neque præſens ſufficit Orbis.

Ho-

Honoratiſſimo Viro,

Henrico St -- John,

ARMIGERO.

ODE.

O Qui reciſæ finibus Indicis
Benignus Herbæ, das mihi divitem
Haurire ſuccum, & ſuave olentes
Sæpe tubis iterare fumos;
Qui ſolus acri reſpicis aſperum
Siti palatum, proluis & Mero,
Dulcem elaborant cui ſaporem
Heſperii, pretiumque, Soles:
Ecquid reponam muneris, omnium
Exors bonorum; Prome reconditum,
Pimplæa, Carmen, deſideſque
Ad numeros, age, tende chordas.

Ferri ſecundo mens avet impetu,
Quà cygniformes per liquidum æthera,
Te, Diva, vim præbente, Vates
Explicuit Venuſinus alas:
Solers modorum, ſeu Puerum trucem
Cum Matre flavâ, ſeu caneret Roſas
Et Vina, Cyrrhæis Hetruſcum
Rite beans Equitem ſub antris.
At non Lyæi vis generoſior
Affluxit illi; ſæpe licet cadum
Jactet Falernum, ſæpe Chiæ
Munera lætitiamque teſtæ.
Patronus illi non fuit Artium
Celebriorum; ſed nec amantior,
Nec charus æque. O! quæ medullas
Flamma ſubit, tacitoſque ſenſus
Pertentat, ut Teque & Tua munera
Gratus recordor, Mercurialium
Princeps Virorum! & ipſe Muſæ
Cultor, & uſque colende Muſis!
Sed me minantem grandia deficit
Receptus ægre ſpiritus, ilia
Dum pulſat ima, ac inquietum
Tuſſis agens ſine more pectus,
Altè petito quaſſat anhelitu;
Funeſta planè, ni mihi balſamum

Diſtille

Distillet in venas, Tuæque
Lenis opem ferat hauſtus Uvæ.
Hanc ſumo, parcis & Tibi poculis
Libo ſalutem; quin precor, Optima
Ut uſque Conjux ſoſpitetur,
Perpetuo recreans amore
Te conſulentem Militiæ ſuper
Rebus Togatum. Macte! Tori decus
Formoſa cui *Franciſca* ceſſit,
Crine placens, niveoque Collo!
Quam Gratiarum cura decentium
Ornat! labellis cui Venus inſidet!
Tu ſorte felix; me *Maria*
Macerat (ah miſerum!) videndo:
Maria, quæ me ſidereo tuens
Obliqua vultu per medium jecur
Trajecit, atque excuſſit omnes
Protinus ex animo Puellas.
Hanc, ulla mentis ſpes mihi mutuæ
Utcunque deſit, nocte, die, vigil
Suſpiro; nec jam Vina ſomnos
Nec revocant, tua Dona, Fumi.

J. Phillips ex Æde Chriſti.

Atrium Peckwaterienſe.

EGregias famâ ſedes, charoſque Penates
Dilecti *Aldricis* memori celebrare Camænâ
Incipiam. Tu Phæbe adſis Parnaſſia linquens
Arva, nec averſus ſacros tibi reſpice muros.
Tuque adeo, Venerande Pater, (quo ſoſpite nullos
Noſtra domus metuet caſus, nec ſacra requiret
Certa magis tot contra hoſtes Eccleſia Tela)
Amotis paullùm intermitte negotia curis
Imperii, pueriſque tuis tua juſſa ſequutis
Da facilem curſum, & ventis fer vela ſecundis.
Wolſæi juxta ſedes pulcherrima ſurgunt
Mœnia, ubi Juvenes Docti Magalia quondam
Atque humiles coluêre Lares, nunc Auſpice cernunt
Aldrichio auguſtam Molem, & longa Atria ſtare
Regifico ſumptu, & lætum præbere Camænis
Hoſpitium, ſervetque intus Generoſa Juventus.
Qualis frondosâ in ſylvâ Jovis Arbor in auras
Vertice ſe attollit, ramoſaque brachia longè
Protendens terram ingenti complectitur Umbrâ;
Aſt ſuetæ ramis Volucres, circumque ſupraque
Pervolitant, lucumque ſonis atque Æthera mulcent.

Nullæ

Nullæ huc captivæ ſaxo candente Figuræ
Suſtentant muros, aut Regum Bellica miſcent
Terrificos ſpolia horrores; procul omne quod ægras
Sollicitet mentes Juvenum, & ſtudia aſpera rumpat.
Aſt ſecura quies, & lætis Otia Tectis
Haud indocta adſunt, tacitique ſilentia Ruris
Regali quamvis effulgent Mœnia Pompâ.
Ut ſeſe alta Domus validis ſubnixa columnis
Erigit! ut totâ apparet pulcherrima mole
Regia ſimplicitas! ſpecie nec paſcit inani
Illa Oculos tantum, ſed magno Robore in auras
Surgentem non duræ Hyemes, non Flamina venti,
Convellent, ſolvetve annis ſublapſa Vetuſtas.
Huc procul, extremis Hoſpes devectus ab oris,
Seu *Rhodani* potor, ſeu *Tibridis* Accola, Cedat
(Admirans ait) Artificum Saturnia Tellus
Magna parens; Cedat nequicquam Gallia Regum
Magnificas jactans moles; hæc Advena luſtrans
Nunc loca, quêis Juvenum Turbâ comitatus Ovantûm
Aldrichius primæ poſuit Fundamina ſedis,
Poſcebatque Deos omen, muroſque ſacrabat.
Forſitan ille ſibi plures promiſerat annos
Quæque animo, & tenui fuerant deſcripta Tabellâ
Mœnia, ſperabat perfecta eductaque Cælo
Aſpicere; O Fragiles hominum ſpes! duraque flecti
Fata Deum! Tua diſcerpunt vota irrita Venti

Aldrichi,

Aldrichi, & moriens opera interrupta relinquis.

At Tu, Magne Geni, ſedem hanc cui cura tueri
Eſt data, qui noſtris gaudes ſuccurrere rebus,
Huic *Atterburium* ſaltem finem addere moli
Ne prohibe, charamque animam defende periclo.
Quanta illi Pietas! Qualis decor enitet ore!
Qui greſſus! Quantuſque accendit Pectus honeſtum
Æthereus Vigor, atque Auraï ſimplicis Ignis!
Hic mox conſtituet Pario de marmore vultus
Vivos, in medio *Aldrichii* Venerabile ſignum
Crinibus Incanis, & apertâ fronte decorum:
Et bini lævâ & dextrâ fortiſſima corda
Strabunt Egregii Juvenes, dum vita manebat
Illuſtres Animæ, fortunatæque laborum:
Si modo non tantus longinquas viſere terras
Eſſet Amor, Patriâ ſi mens contenta fuiſſet.
Ante omnes Præſul redimitus tempora Mitrâ
Vinta, tuâ, capitis divino inſignis honore
Ponetur, cui nunquam animum ſors læta ſerenum
Mutavit, veteris memorem; Sed Matris Alumnum
Inſtaurare Domos, labenteſque impulit Arces.
O Præſtans animi Virtus! Quas dicere grates
Muſa, aut quo poterit laudem comprendere Verſu?
Cum Res ſublapſas, cum nos feroſque Nepotes
Abſtulerit duri gravis Inclementa fati,
Ingens vivat Honos, ſervetque Immobile ſaxum.

Felices

Felices nimiùm quibus hic ſua mœnia ſurgunt!
Vobis parta Quies, certos Rhedycina Penates
Sufficit, & lætas umbras, Virideſque Receſſus.
Irrigui fontes illic, hic Populus altos
Diffundens ramos, colles valleſque recurvæ
Invitantque animos alacres ad præmia Muſæ.
En! ut majores, Præſul, tibi Vivida Pubes
Se levet ad cantus, celſique per avia Pindi
Expatiatur ovans! En! ut tua dicere facta,
Et caput exultet viridanti intexere lauro
Regaleſque Domos manſuræ tradere Famæ.

Gul. Le Hunte

Ex Æde Chriſti Comment.

In

In Obitum Celsissimi PRINCIPIS *GEORGII* PRINCIPIS DANIÆ.

ERgo invidentes stamina GEORGIO
Rumpunt Sorores? Ergo rapax manus
Plutonis indiscreta miscet
Ossa ducum, cinereſque vulgi?
Nec multa virtus, nec pietas moram
Fecere fato? nec bona conjugi
Succurrit ANNA, aut arte fidens
Heu! nimium dubia *Machaon*?
Dudum silentes, Tu mea *Pieri*
I, tende chordas. Cur ego credulus
Scrutarer ultra quid medentum
Admonuit, vetuitve turba?
Nil, quæ *Galenus* dogmata congerit
Dispar magistro, nil moror amplius
Quid pollicetur charta *Coi*
Hippocratis, meliorque norma.

Urgente

Urgente fato, nil poterit liquor
Expreſſus herbis mille, nec artifex
Quodcunque *Boyleus* fluenti
Pharmacon elicuit metallo.
Quod ſi medentis dextera *Delii*
Fruſtra laboret, non pariter chelyn
Tentabit incaſſum; nec artes
Pieridum ſuperabit Orcus.
Me ſi benigno numine *Cynthius*
Reſpectet æquus, ſiquid ego loquar
Olim audiendum, Te noveno
Gurgite non cohibebit amnis
Pallens *Averni*. Te patriæ decus,
Invicte *Cimber*, Te *Britonum* undique
Tutamen, ANNÆ Te beatum
Conjugio, memori ſonabit
Camœna verſu, quem veniens leget
Ætas nepotum. Non aliter manus
Phœbea ſubvenit cadenti
Oebalidæ, revocare vitam
Conata ſuccis fruſtra; at eburneam
Feliciori ſorte movens lyram,
Cantavit extinctos amores
Damna necis reparante plectro.

Richardus Frewin, M. B.
Ædis Chr. Alumn. *Chymiæ Prof.*

In

In Obitum Sereniſſimæ REGINÆ ANNÆ, & Auguſtiſſimi REGIS GEORGII Inaugurationem.

MAgna canant alii, Belli Paciſve Triumphos,
Martiaque exſculpant Muliebri facta Sepulchro,
Me Pietas ANNÆ, me pluſquam Heroïca Virtus,
Intemeratus amor Templi, & Reverentia Divûm
Cum ſteterim ante aras, quæque Ipſe ſacerrima vidi,
Et quorum Pars ſæpè fui, dum mente recurrunt,
Abripiunt totum. Hæc, *Tu* jam inter amœna vireta,
*Elyſia*ſque umbras, non *Ipſa* audire recuſes.
Carmen inane damus: totum at ſpirantia Cœlum
Dona dediſſe juvat. Cape Dona extrema Tuorum.
Uſque Pium Nomen memorans, Eccleſia Mater
Quando Aliam inveniet ſimilem, *Quæ* voce laceſſens
Aſſiduâ Superos, Tela extorquere ſolebat
Vibranda, & miſſas aliò divertere Peſtes.
Hæc junctos acie *Bavaros Senonum*que phalangas
Coucuſſit Precibus. Tunc ſcripta *Bleneimia* fatis,

Cùm

Cùm blandos oculos, palmaſque potentèr inermes
Tollens, Aligeros cœlo demiſit ad *Iſtrum*,
Partaque *Vinſorio* eſt *Germanica* Laurea Fano.
Non *Illam* lætæ, citharâ plaudente, Choreæ
Detinuêre Sacris; pernix non Dama viretis
Traxit anhelantem; non mixta adverſa ſecundis;
Non Dura Imperii; dubiive Negotia Mundi.
Hanc Sacer Antiſtes, medias cùm ſtaret ad aras,
Compoſito inſignem vultu, geſtuque decoro
Cernens, ſæpè novas concepit pectore flammas,
Ardentemque animam propriùs conjunxit Olympo.
At non veſano pulſans præcordia motu
Huc illuc volviſti oculos: Sancti ima Caloris
Mens agitur flammis, & amico carpitur igni.
Haud ſecùs in Furno ſiccandas lenitèr herbas
Blanda ſavilla bibit, flammæque hauſêre ſilentes;
Non furit unda recens, mediove exſpumat aheno:
Quin ſenſim ſtillant lento fornace liquores
Immortale merum, dignumque Tonante Lyæum.
*Tu*que O! Qui Divæ veſtigia clara ſequeris,
In Quem Sacra Deûm, & Domus inclinata recumbit,
GEORGI, Quo coram Ritus celebrare parati
Adſumus Antiquos, nec vana effundere Vota;
Oxonidûm mixtos Spe ſubrepente Dolores
Excipias: plauſuſque parantibus annue Muſis.
Hiſce Tuis ſaltem non uno nomine Tectis,

Olim

Olim ab *Aluredo* positis, & *Saxone* dextrâ,
Sis bonus O! faveasque, aliâ non stirpe creatos.
Te Tua, non aliena, vocant: *Tu* Limina *Saxo*
Protege *Saxonidûm*, Patriosque invise Penates.

Ar. Charlett S. T. P.

Coll. Univ. Magister.

In

In Obitum Celsissimi PRINCIPIS *GEORGII* PRINCIPIS DANIÆ.

EHeu! quis aures undique perstrepit
Clamor gementum? non tenuis dolor,
Luctusve vulgaris ruinæ
Mente quatit solidâ *Britannos*.
ANNÆ maritus, conjugii decus,
Pars magna reginæ, occidit, occidit;
Et pro triumphis mors dolendam
Instituit lachrymosa pompam.
Britanna tellus, præcipe lugubres
Duci querelas, dum pia lachrymas
Regina fundit, & decenti
Ora rigat veneranda fletu.
Dilecta cervix ecce in amabili
Sinu reclinis nunc jacet, ultimos

Fidelis

Fidelis uxoris calores
Excipiens, ſimileſque primis.
Interque cælos, caſtaque baſia,
Flammæ prioris conſcia, mens ſtetit;
Poni & reluctans ſe beatis
Ordinibus patitur deorum.
Fœcunda laudum materies tibi,
Camæna, ſurgit; ſeu celebres virum
ANNÆ imperantem, ſeu regentem
Oceanum, liquidumque mundum.
Qualis venuſto gratia corpore,
Vultuſque magni proditor ingenî,
Dulciſque majeſtas, amorem
Quæ jubet & prohibet viciſſim!
Ponas, frementum quâ globus hoſtium
Cingat; nec atris fœta tonitribus
Tormenta terrent, nec cruentas
Flamma furens vomitura cædes.
Heu quale *Danus* ſævit aheneis
Armis! fugaces vidi ego *Galliæ*
Errare turmas, dum tremendo
Caſtra metit populoſque ferro:
Qualis ſuperbos, auxiliaribus
Adjutus auſtris, volveret impetus
Effrænis amnis, atque aperto
Projiceret nemora alta campo.

At sævientis quis maris arbitrum
Audax sonori carminis artifex
Depinget, & dantem minaci
Jura freto, tumidisque ventis?
O quàm caduco credidit omine
Britanna pubes, Te duce, dirui
Lutetiæ muros superbos,
Egregiam meditans ruinam!
Quò Musa tendis? non tibi militum,
Sed grata rident prœlia virginum:
In quêis triumphans terga vertit,
Persequitur juvenisque victus.

Digby Cotes A. B.

Coll. Omn. Anim. Soc.

In

In Obitum Auguſtiſſimæ & Deſideratiſſimæ Reginæ MARIÆ.

FRuſtra Borboniis meditamur funera turmis,
Fruſtra acrem noſtra Martem removemus ab ora,
Inferimuſque Deum Flandris, ubi ſegnis Arator
Horreſcit ſpargi lætis pro frugibus oſſa,
Arvaque purpureo nimium pingueſcere rivo:
Si tamen huc horrenda nigri de faucibus orci
Mors aderit, medioſque inter dominabitur Anglos.
Quis, Dea, Cœlicolum, quis iniqua mente tuetur
Saxonidas? noſtriſne adeo Juno invida rebus,
Æneadum in ſeros pergit ſævire nepotes,
Normanaque vetat Britonas conſiſtere terra,
Arceſſitque inimica, & Fatis aſpera pugnat?
Namque aliter, cum Marte nihil profecit aperto,
Nec potuit timidos animare in prælia Gallos,
Cur iterum veteres exercet callida fraudes,
Et tacite quaſſare parat fundamina regni?
Scilicet hinc luctus; ergo graveolentis Averni
Credimus hic ſtagnaſſe lacus, Orcique fluenta:
Curaſque, & morbos, & Lethi mille miniſtros,
Et totum æthereas Barathrum evaſiſſe ſub auras.

Quid

Quid referam extinctæ ſobolem ſuper ora Parentis,
Et viduum Conſorte Virum, vacuoſque Penates,
Compitaque, & vicos inhoneſta cæde rubentes?
O dolor! ô rivi lacrymarum! En! una Camænam
Una vocat ſtrages, muſis nimis invida, quamvis
Nulli præterea tota morerentur in urbe,
Nulli eſſent gemitus. Quæ Te, Regina, peremptam
Lingua ſilere poteſt? quanquam ô, cui Lingua ſtupenti
Non ſilet? ô, Parcæ, cur tandem vivimus ægri
Saxonides, ſuperaque inviti veſcimur aura?
Quin ſequimur quo Diva vocat? comitabimur una
Tam charum caput, & nobis quoque terra dehiſcet.
Quo me præcipitat rabies! en ſurgere menti
Morborum Lena, & Divæ morientis imago.
Heu! qualis notat ora color! quænam horrida vultum
Deformat macies! fugit ilicet ocyus Euro
Febre Venus tremefacta, & cedit ſaucia morbo.
Ille furit, niveoſque ſinus, & brachia lenta
Occupat inviſus: macularum denſa propago
Pullulat in facie, quales poſt frigora brumæ
Vere novo primos videas albeſcere fœtus.
Nec via mortis erat ſimplex; unaque ſubacta,
Altera ſuccedit Febris, luditque viciſſim.
Nec mora: contactos artus Sacer Ignis adurit,
Viſcera perque nocens bacchatur, perque medullas.
Ceu quondam Æoliis late ſpirantibus Auſtris,

Præcipiti recidunt ſegetes & Saxa ruina;
Tum ſi forte ruens Cœlo Jovis imber ab alto,
Implerit tumidos amnes, valleſque profundas,
Una ambo certant, & junctis viribus inſtant,
Ventorum rabies, violentæque impetus undæ.
Interea horribili gemitu, miſeroque tumultu
Miſcetur domus, & veterum penetralia Regum.
Naſſovii, namque Ille diu langueſcere curis
Cœperat, & tacitus merito indulgere dolori;
Extemplo inſolitus gelidos tremor occupat artus.
Ut turbari ædes, convellique atria ſenſit,
Fæmineiſque cavas reſonare ululatibus auras:
Per medios ruit, & trepidæ plangoribus aulæ
Nunc gemit exanimis; rumore accenſus amaro
Mox frendit, ſævaſque minas ad ſidera jactat.
Aſt ubi fœdatos oculos, laceramque *Mariæ*
Conſpexit faciem, & cœli jam ſumma legentem
Littora ter felicem animam; quam diſpar ab Illo,
Qui Moſæ ad fluvium horrendis ſtetit acer in armis,
Dum Senonum tremuere acies, ſubitoque relapſæ
Saxa petunt, monteſque, & conſcia flumina curſu?
Ceu, cum *Creſſiacis* Martem exerceret in arvis
Henricus, Legeriſque iret jam decolor undis.
Nunc faciem ſquallore obductus, lumina torve
Ponit humi, obtutuque hæret defixus in uno,
Et mœſtas tandem promit nullo ordine voces.

Erg

Ergo nimis fuerim felix, Te ſoſpite, Conjux,
Inviditque mihi talem Proſerpina Sponſam?
O ſi tuta meo poſſes ſuperare periclo!
Vive, Uxor, meque urna habeat: mea debita Fatis
Lumina claudantur, dum Tu mea lumina claudas.
Dixit, ſemianimemque Mariam amplectitur ulnis;
Oraque delibans, ſiquis ſuper halitus errat,
Ore legit, ſi jam ulla manent contagia morbi:
Et cupit Ipſe mori, & Sponſæ comes ire per umbras.
Illa toro jacet exanguis, maculiſque trementes
Interfuſa genas extrema in Morte Maritum
Agnoſcit tamen, arridenſque ita voce profari
Conatur; ſed fruſtra: Oculos ſtupor urget inertes,
Solvuntur membra, atque in Cœlum Vita recedit.

Petr. Foulkes

Ædis Chriſti Alumnus.

Cambro-Britannus.

QUA *Deva* extremas *Anglorum* terminat oras,
(Inter cæruleas olim celeberrima Nymphas,
Quas largâ procul effudit pater Inachus urnâ)
Et pelago commissa ingenti volvitur æstu,
Hiberni regina sali; stat littora contra,
Terra viris armisque potens, antiqua *Britannûm*
Patria; quæ primâ repetens ab origine nomen,
(Si titulus valet, & series prolixa nepotum)
Authorem jactat, nec mendax fama, *Gomerum*.
Qui quondam miro terrarum accensus amore,
Diversisque actus ventis maria omnia circum,
Et longum permensus iter, quò fata tulerunt,
Non sine Diis sociis has tandem contigit oras,
Atque æterna novæ posuit fundamina gentis.
Illic immotum magno molimine *Cambris*
Imperium fixit, facilesque ad prælia mentes
Formavit, donec pòst robore crevit adulto
Res *Britonum*; populumque heros in secla reliquit
Ferre juga indocilem, libertatisque tenacem.
Ah quoties animo, quam læta recursat imago!
Cum per tot casus variis exercita fatis
Cambria, bellorum sævis infracta procellis,
Et semper secura sui, (quæcunque paravit

Aut

Aut *Danus*, *Dano*que olim vicinior *Anglus*)
Ipſa ſuas fovit nativo frigore lauros.
Sæpe quidem virtutem experta animoſque viriles
Laſſa hoſtis rabies, nunquam ſatiata receſſit.
Haud aliter ſi vis ſurgat violentior Euri
Immenſum factura inter querceta tumultum,
Mox languet, ponitque minas, & temperat iras;
Illa manent immota locis, ſpretoque furore
Nequicquam percuſſa, altis radicibus hærent.
Uſque ſuis obſeſſa malis, tunc *Cambria* victrix
Erexit ſublime caput, tunc deſuper orbem
Deſpexit, validiſque licet librata lacertis,
Incaſſum ſummos tetigerunt fulmina montes.
Illa tamen victis dederat ſolatia ferri,
A *Cambris* vinci foret ut pars una triumphi.
Offa ſuas multo congeſtas aggere foſſas
Objiciat nobis, ſciſſæque opprobria dextræ;
Quantum profecit! *Britonum* dum conſcia virtus
Arſit, & anguſto non paſſa eſt limite claudi,
Irritata magis; ceu, cum vis magna coërcet,
Oppoſitas amnis ſuperat vaſto impete moles;
Et fremit, & fundo præceps exæſtuat imo,
Impatienſque moræ pelago premit arva ſonanti.
Quid non efficient quibus hæc præcordia virtus
Excitat, & fœtæ generoſo ſanguine venæ!
Si nondum oblita eſt antiquas Anglia clades,

Sed commiſſa juvat repetentem funera, priſcos
Ire per annales, & geſta retexere bella:
Cum longo contra obnixus certamine *Camber*,
Excuſſitque jugum effrænis, ſolitoque furore
Perculit *Angliacos*, & ſtragem ſtrage rependit:
At memoret; quantum pietas invicta *Britannûm*
Contulit, extremiſque fides ſpectata periclis;
Audax Imperii tunc cum *Cromwellus* habenas
Invaſit, ſceptro *Carolum*que excuſſit avito;
Protinus inſurgunt *Cambri*, junctiſque tyrannum
Inceſſunt odiis, (O quam te, *Scotia*, mordet!)
Rumpentes ligæ, meliori fœdere, nexus.
Scilicet ut *Cambros* nunquam fanaticus æſtus
Corriperet, (proprio gaudentem frigore gentem)
Dum tu, perfida, tu mediis Aquilonibus ardes.
Diſce tamen, tellus peperit quos noſtra triumphos,
Quos promtos ad bella duces, in utrumque paratos,
Vincere ſeu liceat, patriæve impendere vitam,
Si palmam fortuna negat, ſorſque aſpera belli,
Qua tamen uſque datur, ſtat honeſto occumbere fato.
Quam vellem, *Morgane*, tuos iterare labores,
Et plenam patrio igne animam, mortiſque capacem!
Oppreſſum numero campis cum cederet agmen,
(Nec tunc ulla fugam *Cambris* ignavia ſuaſit)
Et qua pugnatum eſt, rubris cum decolor iret
Wæver aquis, volvens turbato gurgite fluctus;

Solus

Solus reſtiteras, par vel tot millibus unus,
Oſtentans lacerum corpus, truncataque membra,
Et fuſum, prægnans tumuit quo vena, cruorem.
Nec laudes *Odæne* tuas invicte tacebo,
Quem nec vincla, minæ, longuſve in carcere pedor
Fregere, aut ſævi repetita decennia fati.
Dulce par, Elyſii ſiquid mortale receſſus
Curant, nec noſtra heroes conamina rident,
Queis par Martis amor, potuit par cauſa placere,
Eſte etiam unius nunc ingens fama Camænæ.
Te quoque quem quondam in partes malus abſtulit er-
Middletone, canam; nam te mens conſcia facti [ror,
Expiat, atque accenſa pio vindicta dolore.
Par culpæ errantis converſi gloria; dextra
Majores egit, vel quod decepta, triumphos.
Scilicet, ut ſubita deprenſus nocte viator
Cœcum iter explorat longis ambagibus actus:
Mox primam nactus lucem, cœlumque ſerenum
Feſtinat; curſuque moram citiore rependit.
Sed quid bella ſequor? quo me fœcunda vocavit
Laudum materies? nec enim ſi martia virtus
Fert cœlo *Britonas*, natumque ad prælia robur,
Mitius ingenium pariter natura negavit.
Exuit agreſtes animos etiam incola montis
Camber, & hoſpitii jus inviolabile ſervat.
Protinus alma patent reſeratis atria valvis,

Quæ novus ingreditur, nuſquam ſecurior hoſpes;
Nativaſque dapes, & longum ſyrma trahentes
Inſtratæ oſtentant menſæ, atque innoxia libant
Pocula, perpetuum manſuri pignus amoris.
Miratur, geniumque loci peregrinus adorat,
Inſuper hæc ſecum repetens, ſi *Cambro-Britannus*
Præſtitit hæc hoſpes, quantum præſtabit amicus?
Fallor? an inſpirata meæ vis enthea Muſæ
Me rapit? en ſummo videor *Snowdone* locari,
Unde mihi (nec vana fides) dum vertice cano
Sublimis ferit aſtra, viamque affectat Olympo;
Subjectaſque datur terras atque arva tueri,
Utque artem mentita, ſuas diſcrimine læto
Pandit opes natura! Hic alto culmine rupes
Aëriæ nitidum caput inter nubila condunt;
Illic irriguæ fœcundo flumine valles
Et gramen pecori, & feſſis paſtoribus umbras
Sufficiunt; paribuſque cavæ reſpondet avenæ
Ripa modis, dum *Pana* deum nemus omne remugit.
Quod ſi vera canunt veterum præſagia vatum,
*Merlinuſ*que ſagax quondam ventura videre,
Quas videt hic, vincet terras, victriciaque arma
Longe diffundet *Camber*, lateque vetuſtum
Proferet imperium, æternis celebranda trophæis
Bella gerens; ſoloque minor dominabitur *Anglo*.

Jo. Groſvenour Arm: fil. è Coll. Æn. Naſ.

AN-

ANGLO-SAXO,

SIVE

In laudes linguæ Saxonicæ.

ARmatas hinc inde acies, convulſaque mundi
Fœdera, & *Europam* furiis ultricibus actam,
(Sive fremat *Batavis* inſtratum claſſibus æquor,
Gallica ſeu totis ſe oſtentent Lilia campis)
Dicere muſa fugit, ſtrageſque & funera belli,
Funera quæſitis nondum finita triumphis.
Inferiora juvant, juſtas expandere Linguæ
Laudes, & veteris meritos Sermonis honores.
Gratum opus eſt muſis artes revocare caducas.
Lingua antiqua fuit priſcis bene nota colonis,
Qui quondam fluvios *Albim Rhenum*que biberunt.
(*Saxones*, à ſicis nomen traxere cruentis,)
Quo ſermone latus mundi Boreale repletur:
Hinc *Scoticæ* fontes, & noſtræ ſemina linguæ.
Invictos montes, ſimileſque *Britannia* voces
Sola tenet; penitus toto diſiungitur orbe,

Non pelago nec aquis, ſed jam ſermone *Britannus*.
Sicut agunt curſum per falſos flumina fluctus,
Et ſolitos repetunt uſque illibata meatus;
Sic inter varias *Cambrorum* lingua loquelas,
Excrevit ſine matre, manet ſine prole perennis.
Hæc ſecum atque altos oſtentet *Cambria* montes;
Saxonicum nobis genus eſt, ſermonis origo,
Et morum. Notos ſcelus eſt ſpreviſſe parentes.
Hæc ego dum grata volvebam mente ſub umbra,
Nam ſopor incubuit, ſpecies ſe læta, reſulgens
Mille catenatis, varioque volumine, libris
Bodleiana domus, nobis mirantibus, offert:
Spectandamque dedit ſeſe numeroſa ſupellex.
Tum viſum eſt veniſſe duos ætate verendos,
Et vacua librum cella petiiſſe vetuſtum:
Sordidus ille jacens, & multo pulvere turpis,
Saxonicis antiqua notis monumenta tenebat.
Indoluit ſenior, *Batava* de gente colendus
Hoſpes, & expreſſit vocem dolor indignanti.
Scilicet hæc fieri antiquæ convicia linguæ
Nec noſtra ablatos unquam ulciſcetur honores?
Si tua canities damno eſt, ſe noſtra ſenectus
Erigat, & vigeat me vindice ſerior æras.
Non ego Philoſophos, inquit, queror eſſe *Renatos*,
Quodque novos perpeſſa ignes natura fatetur
Mira, quod humano ſcrutantur corpore fibras;

Quod

Quod ratio, non verba ſcholas jejuna gubernant,
Non equidem invideo; miror magis undique plenis
Uſque adeo cellis, nullis antiqua placere;
Immundoque ſitu veteres ſqualleſcere chartas.
Quin agite atque alios tandem ſerventur in uſus
Æternæ tinearum epulæ, proavoſque *Britanni*
Aſſerite hac clade, & (ſi quæ monumenta ſuperſint,
Implevitque ſuos nondum rubigo triumphos,
Si qua ſubit pietas) ingratam abſolvite gentem;
Ut niteant cineres urna meliore paterni;
Et ſurgat rediviva cadentis gloria linguæ.
Nectendis qua non lapſo præſtantior ævo
Lingua fuit verbis, aut aptior edere mentem.
Quid? quod *Homere*, tuæ, vel *Phœbo* judice, linguæ
Par eſt, quod gravitas *Hebræa*, *Latina* venuſtas,
Saxonicam dulciſque exornat gratia linguam.
Dixit & attento repetens proceſſit amico,
Cognatas linguas, fonteſque illius & uſum.
Quis Turrim neſcit, cœloque minantia ſaxa.
Cum Pater omnipotens vibrato fulmine, molem
Concutiens, animoſque virum vertigine, linguas
Læſerit, & variis impleverit ora loquelis?
Quas inter veterum (ſic fertur) lingua Scytharum
Exſtitit, & Gothicam peperit, Græcamque ſorores:
Tum Gothicæ proles, Cimbri Francique feroces,
Diſſimilique ſono formarunt Saxones ora.

Hos anguſta domi res, & numeroſa propago,
Externas armis cogebant quærere ſedes.
Pars hæc *Italiam* domuit, pars illa *Britannos*:
Nec pudor eſt ceſſiſſe armis queis *Roma* ruebat.
Hinc victis linguam victor commiſcuit hoſtis,
Unde novæ voces ſurgunt & norma loquendi.
Tecta tamen *Gothicæ* cunctis veſtigia linguæ,
Saxonicæque manent populis, quos *Parrhaſis* urſa
Reſpicit, & gelido gaudentes axe *Triones*.

Saxonibus poſtquam dederat fortuna (*Britannis*
Expulſis) ſedes, & tutam pace quietem:
Gens, armis, mores linguamque ornare, relictis;
Atque ferox animo nuper molleſcere cœpit.
Tunc quoque Relligio dignos molita triumphos,
Saxonicique pares armis; *Friſiaſque* tenebras
Diſpulit, & cœcam denſa caligine noctem.
Qua venit, proſtrata ſuo gentilia cultu
Numina ceſſerunt, paganæque ignibus aræ.
Incaluere novis; nam tunc ingentibus auſis,
Wilfredi, *Gotebaldi*, *Hevaldorum*que, rigentis
Naturæ fines, pigro qua panditur axe
Suecia, vicinaſque nives *Norvegia* miſcet,
Suſcepere fidem. Mellito hinc entheus ore,
Cædmon adeſt, reſonans ſublimi oracula verſu:
Et tu *Beda* etiam titulo quocunque vocandus;
(Nam quondam ſecreta manus *Venerabile* nomen

Addidit,

Addidit, & meritos defuncto aſcripſit honores,)
Qui poteras muſaſque omnes, arteſque jacentes,
Pauperis anguſto complecti limite cellæ.
At nec longa dies veteres abolevit honores,
Uſque ſed *Angliacæ* perdurat gratia linguæ.
Huc advecta manent cum *Saxone* nomina feſtis
Addita, queis hodie diſtinguitur ordo dierum,
Penſa, colum, fuſos, deductaque vellera filo
Lanificus; ſtivam plebeius, plauſtra, temonem,
*Saxonica*que jugum deſignat voce colonus:
Et bona, quæ fragilem ſuſtentant omnia vitam.
Otia quæ luxumque juvant, tibi, *Gallia* debet
Anglica mollities (non invideamus honorem.)
Tu, quibus inſtituis, reſonarent vocibus agri,
Cum verſuta canes vulpecula fallit odoros;
Seu celebrare juvet perituri funera cervi.
Tu, quibus, accipiter rapidis ſecat aëra pennis,
Et capta, toto gyros agit æthere præda.
Nomina teſſerulis imponis, nomina ludis:
Undique caſtra tuis clamant luſoria verbis.
Scilicet & nugas, & putres, *Gallia* morbos,
Littoribus transfers, nimis officioſa *Britannis*.
Seria *Saxonicus* dedit, & meliora colonus.
Quid referam *Alfredi* tot ſcripta laboribus? unus
In gentis laudes, & linguæ ſufficit unus.
Hic æterna ſacris poſuit fundamina muſis;

Hiſce

Hiſce ſcholas debet, famam, collegia, libros,
*Sheldoni*que domum (quid non?) *Academia* cæptis.
Quinetiam his ſtudiis ultro inſervire Theatri
Infima regna parat, pendentibus undique chartis
Saxonis *Alfredi*, quas inter ſubdita prælo
Vita jacet; prælo, cui ſolers *Junius* ornat
Lexicon, & prima ductas ab origine voces
Præparat *Angliacas*, noſtræ nunc gloria gentis
Junius? ad laudem cui tantum contulit una,
Quantum omnes aliæ poſſint comprendere linguæ.

Wright Croke, Servientis ad Legem filius
è Coll. Lincoln

RE-

REGINA

AD

THERMAS BATHONIENSES.

JAM refides Heliconis aquas, montemque bicollem
Muſa oblita, novos concepit mente furores;
Et majus meditatur opus, Divamque *Britannam*,
Delicias Curamque Poli celebrare, ſuperba
Ambit, & officiis vinci indignata, per ipſas
Auſa ſequi ſalebraſque viæ, caſuſque locorum;
Donec ad optatam liceat pertingere ripam;
Ripam, ſulphureos ubi concoquit *Ætna* vapores,
Atque bituminibus miſcentur flumina lentis;
Bathoniæ antiquas ſedes ubi viſit *Avona*,
Quæ par miranti tacito præterfluit amne.
Hic fœcunda ſuos pandit natura receſſus,
Hic miſeris non empta ſalus, ſed grata dolorum
Morborumque patet requies, donaria cunctos
Hic credam fudiſſe Deos, & Numina curas
Sic teſtata ſuas, noſtroſque miſerta labores,

Hiſce

Hiſce ſalutiferas poſuiſſe in ſedibus undas.
Huc & quæ ſacris *Paradiſi* allabitur oris
Confluxiſſe reor lympham, *Phœbum*que lavacris
His artes voviſſe ſuas, miracula tanta
Attonitum variis implent rumoribus Orbem.
Jam ſileat *Chiron*, doctique *Machaonis* artes,
Et quæ *Theſſalicis* potuit *Medea* venenis:
Hic verſus rerumque vices, & fata retexi
Spectamus, multi ſæva de morte triumphos
Natura mirante ferunt, morboſque relinquunt
Ut palmæ monumenta ſuæ, ſpoliatur & ultrix
Aſſuetis *Libitina* rogis, Parcæque ſeveras
Nil leges valuiſſe dolent: Quem prægravat ætas
Morbida & imbellis, mox indignanſque ſepulchrum
Impatienſque rogi, vivaces induit annos,
Illudens fato, tumuliſque voracibus artus
Eripit effætos, & ſe ſtupet eſſe renatum,
Præſentemque Deum calidis agnoſcit in undis.
Has, decus *Angliadum Catharina*, pudoris imago,
Orta Dynaſtarum de ſtemmate gentis *Iberæ*,
Has inviſit aquas, tali comitante catervâ,
Qualis ſylvicolam fertur cinxiſſe *Dianam*
Gargaphiis dum lavit aquis; non gratior olim
Caſtalios latices intravit nympha, nec unquam
Bathonicas viſit ſedes auguſtior hoſpes;
Tam ſpecioſa errat per balnea turba, putares
Naidas

Naidas in noſtro poſuiſſe cubilia fluctu.
Reginæ adventum teſtata ſuperbior unda,
Indignans nimis arcta ſuas confinia ripas,
Geſtit in occurſum tuere, & dare baſia plantis;
Intrantem & primas lambentem greſſibus undas
Mox famulæ comitantur aquæ, latæque ſequuntur,
Subſiduntque novo preſſæ ſub pondere Lymphæ:
Vix medias pertingit aquas, cum læta fatetur
Se propius ſentire Deum, tam vividus artus
Spiritus informans refovet languentia membra,
Quod quamvis videat, ſtupet ipſa incredula factum.
Jam Medici migrate doli, damnentur inanes
*Chironiſ*que artes, & inutile numen *Apollo*:
Hic majus numen medicinam exerceat, & artes
Hic peragit natura ſuas, virtute ſtupenda
Longævi reparans pereuntia ſecula mundi.
Ante tuos, *Regina*, pedes proſtrata Camœna
Hos tibi ſucceſſus optat, ſuperoſque movere
Auſa eſt, ut redeas populi pia cura *Britanni*,
Aſpiciens lætos *Thamiſino* è gurgite cives,
Dum reboant reditum circumſona littora ſalvum.

Ferd. Tracey,

Jo. Vice-Comitis *Rachutenſis* filius e Coll. Reg.

In

In Obitum Auguſtiſſimæ & Deſideratiſſimæ Reginæ MARIÆ.

Paſtorale Carmen.

Mel. TItyre, formoſi pecoris formoſe Magiſter,
Tityre, Quo teneras fors defendente capellas,
Exigui fortuna gregis, fractæque reſurgent
Ruris opes; Tecum ſi lamentabile fatum
Phyllidis obſtupui; Tecum ſi verba notavi
Ultima, & extinctos clauſi morientis ocellos;
Cur non muſcoſo gemini recubamus in antro
Paſtores, Dominamque pii ploramus ademptam?

Tit. Quin age, ſiquid habes queruli ſolamen amoris,
Et trepido lugubre premis ſub pollice Carmen:
En, iſtam, *Melibœe*, dedit tibi *Phyllis* avenam;
Hanc ego, quæ nuper crudelia flevit IOLÆ
Funera, feralem digitis aptabo cicutam:
Dum mihi Dextra recens ſpirat languentia Nymphæ
Brachia; dum vultus ſtimulat fugientis, & hæret
Dulcis adhuc cupidis anima intercepta labellis.

Mel.

Mel. Quippe minas ſuperum, & fati prænuntia ſigna
Territus agnovi; Palmam cum forte virentem,
Palmam, quæ medio ſtabat celeberrima luco
Fulmen ab obliquo veniens detorſit, at illi
Et caput, & lacero pendebant brachia trunco.
Dii prohibete omen, dixi, Dir *Phyllida* ſervent!
Dii meliora piis, populo meliora merenti!

Tit. Et memini ingratis cum jam valediceret Agris
Sacra manu Vittaſque ferens venerandus IOLAS,
Ut viduos Paſtore ſuo miſerata colonos,
Ipſa genas ſparſit lachrymis; charique recentem
Vatis inundavit tumulum. Nunc ætheris alti
Per ſpatia, excelſum gradiens, luciſque meatus
It, redit, & placidum quærit pia *Phyllis* IOLAM.

Mel. Quis vel *Hyperborei* crudelior incola Cœli
Vel *Rhodani* inviſis Paſtor male fidus ab undis,
Non tum dura gravi ſolviſſet pectora fletu;
Cum *Driadum* pullata cohors, Nymphæque frequentes,
Mœſtaque cum Nymphis planxit *Galatea* ſororem?
Alma ſoror percuſſa ſinus *Galatea* patentes,
Alma fugit, rapidiſque gemit lachrymabile Ventis.
Illi per Campos querulo rumore feruntur,
Mobilibuſque Ornis Dominæ ſuſpiria narrant.

Tit. Dii, (meminiſtis enim) quoties, dum ruſtica DA-
Ad ſtabula invigilans, alienis arcet ab hædis [PHNI
Quos vel Boyna lupos nutrit vel Sequana tigres;

Illa

Illa domi teneros concluſit ovilibus agnos,
Incuſſitque pedum refugis Pulcherrima Capris!
Nunc latus in vidua, DAPHNIS proſternitur herba,
Et dolet Occiduos Agri conſortis honores.
Illum ſolliciti fido ſermone coloni
Solantur, mulcentque hærentem pectore morbum:
Nequicquam: Auritis reſonat nam Phyllida ſylvis,
Phyllida crudeles ſuperos, & ſidera poſcit.

Mel. Credite Paſtores. Thamiſinis æmula ripis
Flebile Moſa gemit, Vahaliſque refuſa per agros
Negligit aſſueto fluctus advolvere Ponto.
Phyllis acum veſtras, pia Flumina, ſtrinxit ad undas;
Nec Batavas perpeſſa ſitu torpeſcere matres,
Dædaleo artifices intexit pollice Veſtes.

Tit. Phyllis opus niveum niveis deducere palmis,
Et paribus docuit filum connectere nodis:
Ex illo omnis Ager calathis ſervere ſolutis,
Tenviaque ingenuas penſa exercere Puellas.

Mel. Quo miſeranda fugis? Tibi telam invidit Arachne,
Formoſas Atalanta comas, Ariadna coronam:
Quid tamen iſta juvant; ſi, Te reparante caniſtros,
Abrumpunt tetricæ currentia ſtamina Parcæ?

Tit. Heu miſeranda fugis! veluti cum menſe reducto
Aurea deſtituunt recidivam cornua Lunam:
Nec prodeſt, toties cæcas quod lumine Terras
Juverit, & ſocia fraternum lampade Currum.

Mel.

Mel. Aſpicimus? Jam nulla cibos Animalia curant,
Gramen ovis, cervi frondes, aut vimina capri.
Quis tamen iſte Aries cytiſum modo carpſit in umbra
Improbus; atque indicta gregi jejunia rupit?

Tit. Nunc armata gelu Tellus, nunc imbribus Agri,
Uſtaque conſtrictis frigent Vineta racemis:
Æternum frigete: Jugis nam Phyllis ab iſtis
Phyllis abeſt, aliumque beavit amabilis Orbem.

Mel. Quid mihi, quæ certis redeunt armenta ſub horis,
Rura quid & ſegetes, quid Tityrus aut Meliboeus,
Quid mare, quid cœlum, quid Numina, Phyllide dempta?
Hos Ego nunc calamos, dextræ geſtamen iniquum,
Frango leves calamos, fractoſque relinquo ſub auras.
Fors illos viridante aliquis ſub tegmine Paſtor
Inveniens, caneret fauſtos ignarus Amores,
Et daret immeritæ carmen lætabile cannæ.

Tit. At mea funereæ ſemper devota Cupreſſo
Fiſtula pendebis ----- ſic dum luctabitur arvis
Jupiter imbre furens, ſylvaſque impune laceſſent
Æolidæ Venti; blandis Tu Vocibus Euros,
Euros, aut Zethæ gelidum remorata parentem,
Phyllida, Paſtorumque pios teſtabere luctus.

Edm. Chiſhull A. M.

C. C. C. Diſcip.

Im-

Imperium Pelagi prolatum.

DUM voce læta *Pieris Itala*
Suetum Triumphis *Eugenium* canit;
Dum *Belga*, dum ſoſpes *Sicamber*
Malburio properat coronas:
Quem tu, loquacis Diva potens lyræ,
Laudare ſumis? Quem facili paras
Ornare verſu, *Gallicanis*
Invidiam faciente Muſis?
Ecquid Theatro conveniet magis?
Ecquis canoris *Oxonidis* labor
Jucundior, quam Te, Tuaſque
Threicio celebrare plectro
O ANNA laudes? Te Dominam Æquoris
Narrare, per quam latius Imperi
Porrecta Majeſtas *Britanni*,
Et liquidis data jura regnis.
Te *Maurus* ambit ſollicitus; Tuum
Dudum ſubactus horret *Iber* jugum:
Metuſque *Gallorum* fatetur
Tholuſii fugiens triremis.

Fallorne

Fallorne? celſas an video rates
Depræliantes compoſito æquore?
Quæ tela, quæ diræ feruntur
Æthereum per Inane flammæ?
Sublata denſis agmina militum
En miſta fumis, vaſtaque robora
Disjecta, & ardentes carinas
In medio crepitare ponto!
En fida morti pectora ut objicit
Britanna pubes, & *Senones* ruunt!
En contra ut obluctans *Britannos*
Celta premit, bene notus hoſtis!
Diu pependit ſcilicet illius
Fortuna pugnæ; ſed *Rookius* novum
Invictus adjecit vigorem
Militibus; ſed amica Divis
Fides *Britannorum*, & Pietas tua,
REGINA, fauſtos reddidit exitus:
Et Regibus certum futuris
Imperium pelagi arrogavit.
Jam fracta virtus *Celtigenum*, & metu
Perculſa triſti pectora; jam fugam
Parare cernas, & latentem
Claſſe cita reparare portum
Tutos tenebris. Hinc *Senonum* retro
Sublapſa ferri ſpes, & inanium

Promiſſa

Promiſſa Vatum eludi, & altæ
Lutetiæ trepidare Turres.
Seræ perhorrens excidium domus
Aſſueta fingit gaudia parcius,
Utcunque devictus, trophæi
Borbonides pretioſus emptor.
Lætus propinquo ſurripiat mari
Si forte nudam præſidio ſcapham:
Seu laude venales inertem
Immerita celebrent Poëtæ.
Jam mente volvens, non leve dedecus,
Claſſem fugatam; *Lilia* marcida
Præſentit invitus, nec ultra
Imperium meditatur orbis.
O ANNA! cujus auſpiciis recens
Cingit *Britannos* laurea, militum
Applaude virtuti, Duceſque
Egregio decores honore.
Utcunque juſtas Plebs neget invida
Donare palmas, eripe lividæ
Oblivioni, vindiceſque
Non dubium *Rookii* Triumphum.
Ille *Anglicanis* certa triremibus
Tutela, quocunque impulerit ratem,
Victor redibit; ſeu minetur
Celtiacis nova bella campis;

Seu

Seu *Gaditani* mox relegens freti
Littus, Nepotem *Borbonidæ* paret
Arcere regnis, & repoſcat
Heſperii ſpolia ampla Sceptri.

Tho. Pomys Equ. Aur.
fil. nat. max.
ex Æde Chriſti ſup. Ord. Com.

Calpe Expugnata.

QUid fruſtra *Lodoix* Aliena Nepotibus arva
Dividis, Imperiumq; *Europæ*, & non Tua Regna
Partiris, Sobolique breves imponis Honores
Borboniæ, Laurumque caducum, atque irrita Sceptra?
En! *Britonum* REGINA, Domus miſerata Labantis
Auſtriacam firmat Gentem, Diademate nudos
Alma fovet Reges, & Tutelaribus armis
Defendit Vindex, Solioque inſtaurat avito.
Illius Auſpiciis, Victrici Claſſe per Æquor
Heſperium exultat *Rookus*, ſubigitque fateri
Nativum Dominum, atque *Aquilis* parere Receptis.
Herculeæ incaſſum *Metæ* Succeſſibus obſtant,
Nequicquam Natura voracem Gurgitis æſtum
Oppoſuit Sinuoſi; & Ponti immane Barathrum
Sorbet in abruptum Fluctus, aſpergine cœlum
Irrorans, refluoque Rates contorquet Hiatu:
Obſita nequicquam *Calpe* munimine Cautis
Præruptæ, Nimbis ignitis deſuper Hoſti
Intonat, & Liquidos accendit Sulphure Campos;
Non denſatæ Acies, non Propugnacula Molis
Ardua, non Centum terrent disjecta Tuborum
Fulmina, ſeu duri Anfractus, Adituſve maligni

Saxonidum

Saxonidum reprimunt Animos; per Tela, per Hoſtes,
Nigrantes inter Latebras, Terramque doloſam,
Suppoſitumque Ignem, & Cæcis loca fæta Ruinis
Impavidi graſſantur: Ut atro Turbine Membra
Tolluntur Semiuſta! Cadavera ſparſa ſub auras
Fumant, atque ſolum Lacerata Strage cruentant!
Tum vero Attoniti ſubita formidine *Iberi*
Horreſcunt, Portas reſerant, atque Arma reclinant
Summiſſi, *Carolique* ultro Moderamine gaudent.
Tu tamen O! *Rookæe*, haud uno Marte Triumphas,
Ceu Pelago Terrave juvat Concurrere, Utraque
Inſignis Palma, Gemino dominaris in Orbe,
Dat Tibi *Grandivus* Frameam, *Nereuſque* Tridentem.
Eia! Age *Tholoſi*, *Senonum* Irreparabile damnum
Si poteris Sarcire, impendentemque *Philippo*
Siſtere Perniciem, & ſublapſa revolvere Fata,
Nunc Animis opus eſt, nunc totas exere vires
Gallorum, ſternas Turritis Navibus æquor
Obductum, & *Lodoici* Armamentaria pandas
Collecta; En! Ventos ſævique pericula Ponti
Perpeſſus longum *Rookus*, Tibi cominus inſtat:
Inſtructas nuper Puppes, unctaſque Carinas
Ordine creſcentes Triplici, Turmaſque refectas
Milite confracto, & Quaſſata Claſſe fugabit.
O! Quantas Clades, quæ Funera volvit onuſtus
Neptunus, *Celtas* dum Flamma ultrice ruentes

Proſternit *Rookus*, Nautaſque in Vortice raptos,
Relliquiaſque Ratum fugientes ſpargit *Ibero*
Littore! Purpureo ſtrident Incendia fluctu,
Arma, Duces, Tabulæque, & *Lilia* ſanguine fœda
Miſcentur, Truncique Artus, & Fumea Roſtra.

Jam patet Oceanus, variaſque licentius Oras
Mercator petit *Angligena*, atque Impune pererrat.
Viſere ſeu libeat flavo Pretioſa Metallo
Regna, & Naſcentis Thalamos ſcrutarier Auri;
Halanteſve *Arabum* Tractus, Redolentiaque arva;
Sive referre cupit Gazas Orientis opimi,
Lucentes Signis Phialas, & Sindona pictam,
Delicias Nymphis, Foliumque ſalubre Camænis.

Quin tandem ſileat *Gracchorum* Turba furentum,
Seditione potens, Odiiſque & Crimine ſemper
Rookæo infenſa, & REGINÆ inimica Triumphis:
Oranti Pacem fas ſit & ab Hoſte doceri,
Quam ſupra Invidiam *Ducis* intemerata refulget
Gloria, & Obliquæ ſpernit Convicia Linguæ.

Sic poſtquam *Alpini* perrupit Frigora Saxi
Hannibal, & dira *Cannarum* cæde trementem
Concuſſit *Romam*, *Auſoniis* truculentior armis
Carthago, invidit juſtis Ingrata Trophæis:
Nequicquam! hæreſcunt capiti Immortalia Serta,
Quoſque negat *Carthago*, fatetur *Roma* Triumphos.

Gulielmus Osbaldeſton Baronettus, è Coll. Magd.

Strenæ

Strenæ Oxonienſes.

AD REGINAM.

AUſpiciis REGINA Tuis, revolubilis Anni
Naſcentis Series, & lucidus Ordo Dierum
Incedit, fauſtique novant Exordia Menſes.
Lapſa licet Senior claudat Veſtigia Janus
Jam Moriens, longo tamen O! Memorabilis ævo
Æternum viget, Immortalia geſta Britannum
Splendeſcunt Faſtis, olim argumenta Poëtis
Tentanda, & ſeræ Invidiam accenſura Juventæ.
Interea Vario certant Modulamine Vatum
Nobilis *Oxonidum* Pubes, ſtudioſa Corollæ
Cæſareæ, miſcent flores, & Munere frontem
Caſtalio cingunt Victricem, ornantque *Minervam.*
Hic canit *Hiſpanum* ſummiſſo poplite Regem,
Te Sociam belli, orantem tutarier armis
Auſtriadum inſtabile Imperium, dubioſque Penates.
Ille refert Urbem dura Obſidione gementem,
Landaviæque Moras, & Tecta ſepulta Favillis,

Atque iter ad *Lotharos* pateſactum & Pervia Regna,
Nudatoſque agros *Senonum*, *Luparæque* minantes
Horrentem *Lodoicum* Anglos, Clademque Propinquam.
Alter depingit fælici Marte ſuperbum
Eugenium, *Auſonia* redimitum Tempora Lauro,
Conſiliumque Sagax, & Inexpugnabile Robur,
Alpinaſque Nives *Gallorum* ſanguine rubras,
Atque Exultantem depulſis Hoſtibus *Iſtrum*.
Alter ſublimi deſcribit Mænia verſu
Semiruta, everſaſque Urbes, atque arva Colonis
Orbata, & latis Fumantia Caſtra Ruinis.
Heu! Patria *Bavarum* Extorrem, ſeroque dolentem
Deciduas Palmas, violataque Fœdera Regum!
Quis tamen O! Dignis exæquet Facta Camænis
Malburii? ut *Celtas* adigit violentus in undas
Attonitos, Ducibuſque manus poſt terga revinctis,
Invehitur Curru, & longo trahit ordine Pompas.
Quis *Rooki* laudes vaſtum reſonare per Æquor
Auſit Tritonis Concha, ſcopuloſaque *Calpes*
Fragmina divulſa, & Domito data Jura Profundo?
Forſitan Ipſe olim Tenui modularer Avena
Cæcas Argenti Latebras, quà *Cambria* creſcit
Montibus, & Nervos Bellonæ divite Vena
Spondet inexhauſtos; Patrioque efficta Metallo
ANNA nitet, blandoque rigeſcit Amabilis ore:
Atqui Pierios poſcunt Majora Labores.

Dum

Dum vero *Angligenum* famæ Monumenta peractæ
Sacris æternat Chartis *Redycina*, futuri
Haud incerta, novos præfagit læta Triumphos,
Continniſque Recens floreſcet Honoribus Annus.
Sic poſtquam *Auguſtus Romæ* ſubjecerat Orbem,
Victor ab Auroræ populis, Niloque ſubacto;
Egregiis ſurgit fæcundum Vatibus Ævum,
Heroumque creant Divinos geſta Poëtas:
Hic Plectro Móllis trepidanti Prælia ludit,
Grandior Ille ſonat Lituo, Martiſque furores
Exprimit horrendos, Majeſtatemque Tonantis:
Nec Tibi Bella Pari deerunt celebranda *Maroni*,
Te *Flaccus* REGINA canet Numeroſior alter,
Quæ ſuperas Pietatem *Æneæ*, & *Cæſaris* Arma.

Herbertus Mackworth,
Humfredi Mackworth Eq. Aur. Fil. natu max.
& Coll. Magd. Sup. Ord. Com.

Bavarus Profugus.

B. VIctrices *Anglorum* acies, tardumque cruore
Danubium, & virides *Churchilli* in vertice Lauros
Multà canunt Omnes; à cunctis exigit Heros
Carmina, *Malburio*que omnis debetur Apollo.
Seu referat caſtris exutos cominus Hoſtes
Vallorumque moris: ſeu *Gallos* æquore Campi
Deletos, *Bavari*que fugam; qui triſtis & exul
Relliquias populi linquit, ſemiuſtaque Regna,
Et ruit amiſſis trans *Rhenum* inglorius armis.

D. Ecce vices Rerum inſtabiles! O lubrica Fata
Principis! Ille igitur pulſus natalibus Arvis
Regalemque Domum, & pulchras deſiderat Urbes?
Sic pius *Æneas* exciſæ Incendia *Trojæ*,
Sic victus notas fugiebat *Carolus* oras.

S. Quorſum hæc? Num patriæ Te præbes Hoſtibus
Et feſtos audes Luctu temerare Triumphos? [æquum?
Te credam (Inſidiis cum ſis inſtructus, & Arte,
Conſiliiſque potens) per Amici fallere nomen,
Corruptum *Lodoici* auro, *Galliſ*que faventem.

D. Me vero haud quiſquam *Britonum* victricibus armis
Lætior exultat, *Galloſ*ve fidelius odit:

Aſt

Aſt Ego (ſic me Animi finxit Natura tenelli)
Magni dura Ducis nequeo non fata dolere;
Felicis, toſtos profugus ſi erraſſet ad *Indos*,
Æternamve Hyemem, nivibuſque latentia Saxa:
At nunc (quæ graviora) ſuæ confinia Terræ
Incolit, & pæne in propriis miſer exulat Agris.

S. Et merito; ſemperque luant ſua facta Rebelles,
Auro venales: Sociis, Patriæque, Sibique
Infidi, & *Bavaro* ſimiles: jam *Gallica* ſigna
Indignans ſequitur, curtoque ſuperbit Honore
Dimidius Princeps. I nunc, Titulosque puſillos
Quære miſer; ſi tanta audes, ſi pectore Robur
Tantum degeneri, curam ſortire Cohortis,
Expectans alieni inhoneſta ſtipendia Belli.

B. Parcite Vos liti ambiguæ; tenet Error utrumque,
Neve Tuo (ad *D.*) luctu Ille, Tuo (ad *S.*) neque Scommate dignus.
Quin recolas *Turcarum* undantia ſanguine Valla,
Innumeroſque Duces fuſos ad mœnia *Budæ*.
Ipſa Viri armatam tremuit *Germania* dextram
Nuper, & *Auſtriaca Cæſar* non tutus in aula:
Expertus toties, qua dirigat arte Phalanges,
Prœliaque inſtituat; quantus ſpumantia frœna
Flectat Equi ardentis, quo fulmine torqueat iras
Prima acie: Seclis dabit Illum Fama futuris
Aſſuetum palmis, generoſum, & Martis amantem,

Fortem animis, & Te ſolo, *Churchille*, minorem.
Nulla fides Homini interea; Mens turbida faſtu,
Impatiens fræni, cupiens aliena, ſuique
Prodiga, vaſta petens, *Gallorum*que æmula luxus.
D. Sed nec Ego obliquos auſim defendere mores
Digni laude Viri: quanquam O! niſi Numine lævo
Borbonii in partes temere juraſſet, amici
Exciperent plauſu *Britones* Heroa ſecundo,
Tuque (ad *B.*) minus fido numeraſſes crimina verſu.
Nunc etiam nimium crudeles pendere pœnas
Cogitur; Imperio avelli, patriamque videre
Funditus everſam, flammas per cuncta volutas
Culmina, & immenſis exhauſtas cædibus Urbes.
Hæccine tam nota *Anglorum* clementia, cunctos
Obruere Excidio, per mille Incendia vicos
Spargere, & informi Gentem vaſtare ruina?
S. Egregio ergo Duci referat cladem Illa, ſuamque
Ipſe Sibi; Inviti nos tantas edere ſtrages
Urgemur, neque ſævo evertimus Oppida ludo,
Celtarum Exempla, & *Lodoici* juſſa ſecuti.
Ipſe ſuas noſtro disjecit fulmine Turres
Improbus, Ipſe agros ferro populavit & igne.
Scilicet ut Solio *Leopoldus* cedat avito
Pulſus, & *Auſtriaco Bavarus* dominetur in Oſtro.
Affectans aliena, ſuo ſpoliatur honore
Demens: Sic Sociis largitur prodigus Orbem

Diviſum

Diviſum *Lodoix*; ſic dant Diademata *Galli*.

B. Sic valet *Angliadum* Virtus contundere vires
Omne nefas meditantum, & debellare ſuperbos.
En Cunei turbati! En! præcipitatur in Undas
Dimidium belli: Fluvio dant corpora ſaltu
Quadrupedes denſique Equites è margine Ripæ
Volvuntur proni in capita: glomerantur in alveo
Agmina *Danubii* confuſa, & gurgite vaſto
Semianimes luctantur Equi; crepitantiaque Arma,
Attonitoſque Viros rapidi rotat Impetus Amnis.
Ipſe fugit; crudoſque ſuorum linquit Acervos
Bis victus; *Gallorum* auro, ferroque *Britannum*.

D. Jam fovet infelix vigiles ſub pectore curas,
*Flandriaci*ſque gemens incuſat Sydera caſtris.
Nunc raptos queritur Natos, dulciſque relictum
Conjugis amplexum, & vidui Divortia lecti.
Illa moram exiguam, non æquo Marte reſiſtens,
Objecit cladi, & properantes diſtulit Hoſtes.
Dum tremuit pavitans, & Milite cincta, Maritus
Ah! quantum timuit ne qua Illam Injuria belli
Læderet, aut teneros afflarent Sulphura vultus!
Nunc ægrum in Somnis inamabilis urget Imago
Marlburii; media ſemper de nocte recurſat
Blenhemium: ſemperque ſibi renovare videtur
Prælia neqnicquam, & fugientes quærere Turmas.
Producit mœrore Diem; non appetit ultra

Impatiens pugnam, nec Equos aut Agmina curat:
Telum imbelle vibrat lugens, ac debile fulmen,
Et jam non gratis labefactus languet in armis.
S. Mite Viri ingenium narras, manſuetaque corda:
Sic nota Illius pietas, Animuſque remiſſus?
Indignans potius, furiiſque agitatus & ira
Horrendum tonat, & Cœlo convicia torquet.
Multum Hoſtes odit, magis execratur Amicos;
Nunc ſe ultro damnat, patriæ qui fœdera demens
Diſſuerit; nunc venturum promittit in annum
Vindictam, jactatque minas ridendus inanes.
Inſana virtute ardens cupit Agmina foſſis
Exuere, & *Batavos* Valli munimine tutos.
Gallica quin obſtat Prudentia, & Ora coërcet
Sæpe reluctantis, cohibetque & temperat Iras.
Ille pati Dominum indocilis, frœnoque repugnans
Obſequium præſtat tardum, invituſque quieſcit.
Aſt animi ſimulac paulum deferbnit Æſtus,
In Venerem, & Bacchum præceps ruit, inde Doloris
Lenimen quærens; at non ſolatia Menti
Fert vel crebra Venus, multive frequentia Bacchi.
Inſomni tantos volvens ſub pectore fluctus
Curarum, ſine fine furit, nocteſque dieſque
Pœnas dat meritas. *D.* Meritas equidem Ipſe fatebor;
Cedo etenim, & victus caſum deflere Tyranni
Deſino: *Flandriacis* fugiat mox pulſus ab Agris,

Borbonii

Borboniique ſui petat arva remotior Exul.

B. Inveniet multos, eadem quos aſpera Fata
Urgent, Exilii comites; Socioſque ſalutans
Gaudebit; dabitur Fratris jam tangere dextram
Principis ambigui, cui dudum aſſueſcere *Gallis*
Contigit, amiſſæque dolere Inſignia Mitræ.
Illic & noſtrum Juvenem, atque umbratile cernet
Imperium, & ficti ſimulata Palatia Regis.
Atque alios plures, *Lodoix* quos æquus amavit,
Aut ardens miſit *Pariſina* ad mœnia Virtus.

D. Felicem *Lodoicum*! Ejus ſuccedet amico
Hoſpitio populus Regum, ingenteſque ſubibunt
Tectis Terrarum Domini; quibus Ille beatis
Sceptra bonus vel falſa dedit, vel vera revulſit.

B. Forſitan & comitem ſe tandem *Hiſpanicus* addet
Regulus, & *Carolo* ſolium non ſponte relinquens
Inſtituet parvum falſa ſub imagine Regnum.

S. Illius exigua *Bavarus* famuletur in aula
(Iſtam Virtuti tantæ concedimus ultro
Mercedem) tenuiſque faceſſat juſſa *Philippi.*

D. Quin potius fatis vivant æqualibus; Omnes
Exæquant Mors & *Lodoix*; ſecurius Ævum
Jam dabitur victis, humiliſque moleſtia Vitæ.

B. Non alios populo oſtendunt Proſcenia ludos,
Hiſtrio cum prodit gemmis inſignis & auro,
Sublimes quatiens plumas; quem purpura veſtit

Pone

Pone fluens, nitidique includunt crura Cothurni.
Ille pede ingreditur tardo, vultuque Tyrannum
Exprimit, & tumido frangit ſubſellia Verſu:
Mox ubi mutatam exercet nova fabula Scenam,
Depoſitis idem phaleris, & grande ſonanti
Carmine, dignatur plebeio incedere greſſu.

S. Illic jam peragent miſſis lenta otia curis,
Privatis hilares Vitiis; non amplius anget
Imperii labor; at tutis vacuiſque licebit
Indulgere jocis vinoque, & fallere Tempus
Colloquio; aut Talis ſimulachra ciere Triumphi
Mentiti, & quaſſo levia arma movere fritillo.

B. Nec jam de dubiis ineant certamina Sceptris
Ludicra, ſed Nummis. *S.* Si Nummi forte ſuperſint.

D. His autem abſtineant moneo: ne ſæpè recurrant
Fortunæ inſtabiles Luſus, atque Alea belli.

B. Exitus hic Illis: meliorum munere Divûm
Per totum reſonant *Anna* & *Marlburius* Orbem;
Qui ſoli feſſis poterant ſuccurrere Rebus
Cæſaris, Imperiique graves fulcire Ruinas.
Jam redit haud uno noſter *Germanicus* Heros,
Inſignis titulo, & peregrino Nomine Princeps.
Perpetuus jam Victor eadem ſorte movebit
Prælia, dum tantæ cupidi ſubſcribere famæ
Certatim meritos dant *Anna* & *Cæſar* honores.

Ricardus Dawes Armig. Fil.
Gul. Bucknall Equ. Aurati fil. unic. } è Coll. Wad. Sup. Ord. Comm.
Gul. Seys Armig. fil.

Fœdus Luſitanicum.

CUR juncto reſonant *Tarteſſia* littora plauſu?
Quidve repentinis fervet *Liſbona* triumphis
Cæſareæ nondum manes luſtrata puellæ?
En video! ambiguæ ſe pandit gloria ſcenæ,
Agnoſco claſſem magna ſe mole moventem
Per maris *Heſperii* fluctus, undantia multo
Signa noto Varios formare per aëra gyros
Proſpicias, niveiſque albeſcere marmora velis.
Hanc nimis anguſto amplexus Tagus aureus alveo
Inſolitum miratur onus, gemit unda ſub ipſo
Pondere navigiorum, & *Nereus* ipſe laborat.
Portum ubi contigerint, ferventia littora circum
Infremuit Vulgus, pueri, innuptæque puellæ
Agglomerant una, abjectoque ſenecta bacillo
Claudicat admirata viros turreſque natantes.
Jam triplices firmo coaleſcunt fœdere gentes;
Belgæque, & *Britones*, *Luſitani*que futura
Diſcutiunt bella; hic teneri furtiva *Philippi*
Sceptra manu extorquent; hic fuſos Victor *Iberos*
Carolus urget ovans; & amico Corda *Lyæo*
Inflati madida depingunt prælia menſa.

Rookius

Rookius interea ſecum graviora revolvens
Egreditur portu, pavidiſque inſultat *Iberis*.
Eſt locus *Heſperiæ* notus cognomine *Calpes*
Monte ſuper ſummo, *Hiſpani* quaſi janua regni:
Hunc circum variæ murorum à fronte catervæ
Arma movere parant, dum puppes pone latentes
Inſtaurant dupliçem pugnam, diverſaque bella.
Hic *Darmſtadus* ovans per acuti Sibila plumbi
Scandit inacceſſas rupes, objectaque valla
Tranſilit, ambiguoſque refert ex urbe triumphos.
Dum recreat feſſos gemino ſub *Marte Britannos*
Rookius, it rumor portus liquiſſe recluſos
Celtiacam claſſem, atque iteratum intendere bellum.
His ſemel auditis, veluti Leo ſtratus in antro,
Dux nemorum, ſi forte videt rivalibus armis
Regna peti, fremit horrendum, & furibundus in hoſtem
Inſiliens patrios tutatur ſanguine campos.
Haud ſecus in *Celtas Anglus* ruit, arcibus arces
Occurrunt, multoque exploſa tonitrua fumo
Robora ferratis centum compacta catenis
Dilacerant, ſparguntque novam per marmora cædem.
Miſta per attonitos reſonarunt murmura fluctus;
Heſperii caluere ſinus, dum ſanguine pontus
Erubuit, tepidaque exſurgit fumus ab unda.
Jam *Gallos* retro fractas urgere carinas
Per maris *Herculei* fluctus, multoque labore

Tellur

Telluri allapſos claſſis reparare ruinas.

Interea *Angliacis* per amici cærula ponti
Leniter aſpirat ventus, placidoſque ſuſurros
Ingeminat laceri per honeſta foramina veli.
Rookus in Oceano rurſus Dominator *Ibero*
Fervere ſucceſſu, verſiſque per æquoris undas
Tendere iter velis, propriamque reviſere *Calpen*:
Hic ubi diſpoſuit varios ad bella paratus,
Lætus abit, pelagoque ſuo confiſus arenas
Appulit indigenas, claſſemque reducit ovantem.
O Felix, ſi non, alieno ſole vireſcens
Laurus, ab invidia proprio marceſcat in horto!
Tu tamen O patriæ decus & tutela *Braganzæ*;
Dum pactam fovet ANNA fidem, & muliebribus armis
Intonat in *Gallos* terra, mare ſternit *Iberos*,
Parce ſupervacuis animum ſubſidere curis.
Si nondum meritas tibi tendit *Iberia* palmas,
Nec ſolio *Carolus* ſedeat ſublimis avito;
Siqua fides vati, novus hic, qui vertitur, annus
Uberiora dabit Victrici præmia fronti,
Et tibi pacificæ nectetur Laurus Olivæ.

Carolus Osborn Baronetti fil.

è Coll. Univ.

Roo-

ROOKUS invidia major.

HAnnibal in Latiis victor dum fulminat arvis,
Surgentes Hanno mendaci carpit honores
Eloquio, ridetque ſuos Carthago triumphos.
Sic dum Borbonii quaſſas maria omnia circum
Rookus agit claſſes, congeſta Cinna laborat
Invidia, Heroique parat divellere lauros,
Cinna biſrons, mendax cui lato pileus orbe
Os tegit, inque vaſro riget horrida pectore barba,
Ingentique ſolum nigra ſyrmate pallia verrunt.
Et nunc in madido ſufflat ſuctantia naſo
Scommata, nunc laudem ambiguam, fictoſque timores,
Et leni inſinuat commenta arcana ſuſurro;
Interea tumida ora tremunt, rubet ignis ocello
Liventi, tetraque albent labra torta ſaliva.
Quod ſi avidæ gaudet tutus figmenta ſuburræ
Dictare, & dubias in vulgus ſpargere voces,
Non pariter lateri per bella Herois inermi
Hæret, hiulca globi dum robora turbine pulſant
Ardenti, fractaſque trabes, ruptoſque rudentes,
Semineceſque viros, & membra trementia toto
Æquore disjiciunt, dum undantem carbaſa flammam

Diſpergunt

Diſpergunt, ſummiſque ſtrepunt Incendia malis.
Ut circum ſaxa ære cavo diſploſa nigrantes
Agglomerant auras, ut ſtridens æquore toto
It ſonitus! ſpiſſus piceis involvitur æther
Nubibus, & tremula reſplendent æquora flamma.
Immenſum *Tagus* imo exterritus amne fragorem
Exaudit, quaſſiſque *Aſra terra* reſultat arenis.
O ANIMOSE HEROS ſi Te tot adire labores
Laudis amor, ſtimuliſque obliqua agitarit amaris
Invidia; æternos pariter Tibi donat honores;
Et capiti imponit meritas invita corollas.
Te duce *Gallorum* naves & ſibila lenta
Robora flamma ardent, aurumque gementis *Iberi*,
Et captiva alacri deducitur India *Tamo*.
Jam *Calpe* æternam ſtatuit Tibi victa columnam.
Te pulſæ claſſis, Te fuſi gloria *Celtæ*,
Aſſertique maris, gaudentibus inſerit aſtris.
Sic odio *Alcides* actus *Junonis* iniquæ
Heſperidum nunc mala rapit, nunc *Pergama* terræ
Perjura exæquat, nunc monſtra vomentia flammas
Contundit, memorem Herois longinqua columnam
Miratur *Calpe*, atque inviſo *Juno* nepoti
Exitium meditata, inopinum donat Olympum.

Hon. *Franciſcus Powlet* March. Wint. nepos,
è Coll. Æn. Naſ.

Landaua recepta.

DUM fractas *Gallorum* acies, correptaque tela
Danubius nigro absorbens in gurgite volvit;
Arma movet *Leopoldi Heros*, *Aquilas*que triumpho
Torpentes insueto ornat; magni arma *Philippi*
Famamque *Austriadum* antiquam, *Carol*ique frequentes
Par repetit lauros, & *Avitum* instaurat honorem.
Qua rapidus prono *Rhenus* devolvitur alveo
In medias *Landaua* minax attollitur auras;
(Bis labor heroum, dubii bis præmia belli)
Olli centenæ defendunt ardua turres
Mænia, centenas defendant mænia turres.
Et mora fossarum triplex, & vasta fluenta
Circumeunt, multusque haud vani fulminis Ordo.
Hic furias *Germano* omnes, & fulgura belli
Objicit, & vario dispar *Mars* detonat igne.
Hinc cava fumantes late æra rotantur in Orbes,
Inde globis piceas vastis tormenta per auras,
Mille sonant; referat tellus infida cavernas
Sulphureas, cæcamque eructat hiulca ruinam,

Et

Et laceras cœlo rotat ater turbo cohortes.
Nequicquam; tonitru æterno quaſſata fatiſcunt
Mænia, ſuccedit muro *Germanica* pubes
Contigua, intrepidis portæ panduntur ahenæ
Agminibus, ſummaque undans *Aquila* ardet in arce.
Excutit infames *Galli Lotharingia* nodos
Perjuri, *Heroum* infelix *Lotharingia* mater,
Et *Caroli* innumeris neqnicquam læta triumphis.
Illa Armis *Caroli* ſervatos concinit *Hunnos*,
Et falces *Thracum* infractas, *Aſiamque Vienna*
Depulſam, cæſaſque immani turbine gentes.
Heu fruſtra! inviſo dum præbet aranda *Colono*
Jugera, direptos dum vaſtat perfidus Agros
Gallus, Vindicias *Carolus* meditatur inanes,
Victor deplorandus, & haud inglorius Exul.
Malburius graviore trementes fulmine *Gallos*
Exturbat, quatiunt victricia tela ſenilem
Borbonium, ſtrageſque ſuas igneſque rependunt.
Cernis! ut *Angla* micant *Celtarum* ſigna per arces!
Ære nitent agri, hinnituque *Britannus* acuto
Paſcua complet equus; lætum Sol recreat agmen
Purior, halanteſque auræ, turgenſque nigrantis
Uvæ luxuries, auroque nitentia mala;
It turma exultans, rimanſque inſueta pererrat
Vineta, & puri dona intemerata *Lyæi*
Haurit nativa (labro crepitante) ſub umbra,

Et

Malbu-

*Malburii*que rudi celebrat præconia Verſu.
Optato interea reſerat *Lutetia* portas
Victori, plaudens ſubit ANNÆ mite colonus
Imperium; captatque jugum, gaudetque Catenis.

Gul. Wardour

è Coll. Reg. Sup. Ord. Commenſ.

Mer-

Mercurius Pariſienſis.

VOS, quibus & Novitas ſtudio, & queis Patria cordi [eſt,
Quoſque trahunt toſtas redolentia poculas baccas
Delicias *Arabum*; vel Eoa per æquora vectæ
Matutina ſitis *Theæ*; miranda relatu
Exponam vobis: Heroum facta, viceſque
Fortunæ infidæ, & ſævi certamina belli.
Nec dubitate meis ſecuri credere chartis,
Quippe Ego *Mercurius*, gentes cui fama per omnes
Illibata; Mihi Patrium eſt non fallere, namque
Veraci *Gallo* peperit me Mater *Iverna*.
En! hic *Marſinni* calamo conſcripta Tabella,
Tradendam Regi quam præpes *Pegaſus* ad nos
Pertulit: Illa refert *Celtæ* quæ funera, quantas
Ediderant ſtrages; *Britones* cum caſtra pararent
Arripere audaces, non Diis, non viribus æquis.
His vero mutata brevi Fortuna, ſereno
Arriſit vultu; Senonum nam forte phalangi
Exiguæ, tenui qua monſtrat ceſpite viles

Skellenberga

Skellenberga casas, ingens sese obtulit agmen
Brutigenûm, numerisque & Marte oppressit iniquo:
Egregium sane decus, & Spolia ampla *Britannis*!
Parce tamen solitos agitare *Britannia* plausus;
Altera felices invisit Epistŏla *Gallos*,
Instructas narrans acies, & in æquora turmas
Omnes *Borbonidum* effusas, omnesque *Bavari*:
His sese opponit *Germano* milite cinctus
Eugenius, duro invitus concurrere bello;
Illis obstitit, successu elata priori
Angligenûm Virtus, pigris comitata *Batavis*.
Cernite, quantus utrinque furor, quamque aspera surgit
Pugna! sed *Eugenii* cedens victa *Ala Bavaro*,
Prima fugit, socias prodens male fida cohortes.
At non tam facilis cessit Victoria *Gallis*;
Fortius oppugnant *Britones*, fractamque parati
Instaurant aciem: sed frustra; Fata, *Navarri*
Imperium, extremas certant extendere ad oras.
Quo *Tallarde* ruis? victos quo improvidus urges?
Sat bello famæque datum est; Circumspice quot Te
Includunt *Britones*: mox victor Præda fugati
Hostis eris. Proh felicis nimis aspera belli
Fortuna, & casus Nimiæ Virtutis iniquus!
Diversa prorsus lætatur sorte *Bavarus*;
Is late explicuit victricia Signa, suæque
Securus patriæ, jam *Belgarum* intonat oris,

Eugeni

Eugenium vicisse semel contentus, & *Istri*
Vidisse absorptas funesto gurgite turmas.
Fama refert *Calpen* obsessam Classe *Britanna*,
Excepisse Hostem, tutisque recondere portis:
Sed nondum hoc didici; nec vera & certa referre
Pollicito, dubiæ fas est mihi credere Famæ.
Quin si scire libet Pelago quid agatur, habete
Hæc mihi quæ retulit fidei dignissimus author:
Securus Palmæ, quæsivit per freta longa
Tholusius Britonum naves; Hæ protinus omnia
Vela dabant vento, & sulcabant cærula remis:
Acrius ergo instant *Galli*; sed *Rookius Anglis*
Obstat, & invitos cogit se cingere pugnæ.
Arma fremunt omnes: hinc unctas Stupea flamma
Incendit puppes, lateque volatile plumbum
Disjicit antennas: sed sero Vesper *Olympo*
Procedens, dirimit bellum; fugit inde *Britannus*
Defensus tenebris, & munere noctis opacæ.
Tanta est quæ nostræ succrevit Gloria genti,
Dignum Æstatis opus! super his tamen *Anglia* lætas
Instaurat pompas, fictos celebrare Triumphos
Callida; deproperantque ANNÆ sua dona, *Camænæ*
Oxonides, laudem immeritam, & mentita *Trophæa*.
O Rex magne! Tuam pariter si extollere famam
Aggrederer, Quantas Urbes, eversaque castra
Narrarem! Pelago quot rapta trophæa *Britanno*,

Liliaque attonitum victricia lata per orbem?
At non tale mihi Ingenium est; sed Patria Virtus,
Nudaque simplicitas, & pectora nescia fuci;
Nec Tu mendacem ferres *Lodoïce* Poetam.

Reginaldus Hawes Armigeri Filius,

Coll. Exon. Commensalis.

Vota

Vota *Academiæ.*

NUnc O! Calliope extremum concede Laborem
Oxonidis; Lauris reſtant ſurgentibus ANNÆ
Carmina Sacra Tuæ; gemino Dea rapta furore,
Quæ modo Præteritos ceciniſti grata Triumphos,
Non vano Augurio, famæ Monumenta futuræ
Attolle, *Angliaci*que opus immortale Gradivi
Deducas Serie numeroſa; O! prælia *Gallis*
Longum deflenda! ut *Rhodanus* jam lenior undis
Defluit, & *Lodoix* morientia Lilia plorat!

Quales Succeſſus, quæ non Speremus Ovantes
Armorum Spolia! *Angligenæ* dum Vota frequentes
Plauſibus immiſcent Sociis, ANNAMQUE fatigant
Sollicita prece gaudentem? ſanctuſque Senatus
Immenſas effundit Opes, bene prodigus auri.

Jam medios penetrat *Senonas*, & viſcera Regni
Borbonii, flammiſque agros & Vindice ferro
Vaſtat *Malburius*; *Britonum* denſa agmina Meſſem
Sternunt naſcentis Bromii, crudoſque racemos
Proculcant, preſſiſque Uvis tinguntur arenæ:
Mox inſtat *Sequanæ*, *Pariſinaque* mœnia quaſſat
Exultans, Tremuloque Seni Diadema caducum

Eripit; heu! sævis subsidunt Tecta Ruinis
Versalia; immundis Viridaria sparsa favillis
Arent, Artificesque ardescunt ignibus undæ.
Parte alia *Occiduas Britonum* Vexilla per Oras
Rookius expandit, palantesque Æquore toto
Prædones agitat *Gallos*; haud amplius Auro
Classis onusta rudi, & Nummis fœcunda futuris,
Hispanas vectabit Opes impune, Tyranno
Celtiaco auxilium, atque inopi Solamina Stirpi:
Mercibus *Indorum* ditescit *Thamus*, & Urbi
Redditur *Augustæ* concretus Arundinis humor
Mellitæ, Tubilisque exhalans Planta vapores
Fumea jucundos Baccho, atque Coloribus apta
Tingendis Arbor, Febrique inimicus acutæ
Peruvius Cortex, & Naso Pulvis amænus;
Hæc Mundus tribuit Reginæ præmia Pacis
Alter, & æternæ Fidei inviolabile pignus.

En! erit ut *Carolus* Regno potietur avito
Austriacûm, *Angliacæque* lubens, pia fœdera gentis
Ambiet; interea Solio detruse *Philippe*
Tallardum invisis Vinctus, dum mæret Uterque
Borbonium frustra immani Ambitione furentem,
Imperiumque fugax prensantem, & inania Regna.

Et jam *Scotorum* Gens irrequieta, Vetustas
Dediscunt iras, ponuntque ferocia corda,
Brunigenûmque ultro Socialia sceptra requirunt.

At poſt devictos armis ſœlicibus Hoſtes,
Pacatumque Orbem, cura propiore fovebis
ANNA Tuos *Britonas*; ſincero *Eccleſia* cultu
Fulgebit Mater, gremio indignata repellet
Natorum infidum Pecus, ambiguoſque *Cethegos*.
Hæc Tibi Præſagæ promittunt Fata Sorores
Saxonidûm O! REGINA Decus, quæ dona Juventæ
Aoniæ ſpondes, renovanſque in carmina Vires,
Supples Materiem, atque accendis Marte Camœnas.
Sic olim *Æneæ*, venturi præſcia Virgo
Phœbæis aſſueta adytis, & Numine plena,
Cæcas ambages Divûm, atque arcana recludit
Conſilia: hic Ramum pretioſo flore comantem
Pandit; Vimineumque Aurum, frondenſque Metallum.
Mox *Italas* aperit pugnas, atque horrida bella
Mezenti, fractos *Rutulos*, genibuſque minorem
Dauniada, atque arvis *Troja* regnante *Latinis*,
Perpetuos *Romæ* faſces, ſeroſque Triumphos.

Car. Docminique
è Coll. Di. Jo. Bapt. Gen. Com.

REGINA
OXONIUM invisens.

QUA dudum insonuit læto Clamore Theatrum,
Cum Tu dilectas *Rhedicynæ* inviseris Arces,
Cecropios ingressa Lares, doctosque Recessus,
Ecce iterum Regina, tuis celebranda Camænis,
Adsis Materies, & semper Amabilis Hospes.
Illa assueta Comes, Regumque immersa Ruinis,
Cæsareæque Domûs fida infœlicibus Armis,
Te quondam, Ambigui trepidantem Crimina belli,
Accepit Gremio Fugientem, & condidit Umbra.
Quam nunc dissimilis! quantum O! mutaris ab Illâ!
Dum celsa Imperio, Sceptroque tremenda Britanno,
Pierio incedis stipata Satellite, Dia
Majestate nitens, & Formidabile Numen,
Palladiam ducis Pompam, & Circi Atria pandis!
Ut Domus effulget Regali splendida Luxu!
Ut fervet Plausu, insuetoque superbit Honore!
Cum Tu Socraticis dignata accumbere Mensis,
Descendis Solio, atque Epulis Conviva Togatis,
Castalios Latices, Phæbeaque fercula libas.
Hic memor *Ormondi*, cyathum læto Omine poscis
Votivum, & spe fatidica, non decipis Augur

Præci-

Præcipiens ſpolia aurata, *Hiſpanum*que liquentes
Divitias, ſtridenſque peruſtis Claſſibus æquor.
Hinc ſocio Conjux lateri Mavortius hæret,
Et caſtæ Veneris Fulmen deponit in ulnis,
Lorica Horribili exutus, placiduſque videri.
Illinc Fida Comes, ſplendet, *Marlburia*, Conſors
Pectoris arcani, & dudum ſpectata periclis.
Flandrorum interea Sponſus quatit Oppida Victor,
Denſa inter tela, atque rubentes Sulphure nimbos,
Gallorumque minax pavitantibus intonat oris,
Leodii intentans *Pariſinis* mœnibus ignes.
Dum robur vetus *Anglorum*, & deſueta Trophæis
Agmina deducit, ſopitoſque excitat æſtus,
Atque Immaturas Heroum ulciſcitur Umbras.
Landarum cladem, atque inhoneſtæ conſcia cædis
Fleri caſtra Abſolvit Ovans, Dubiique Tyranni
Inſtabile Imperium, & pretioſi Opprobria belli.
Interea *Oxonidæ* ſpiranti prælia verſu
Depingunt, duroſque æternat Palma Labores.
Reginam fervet circum Præſaga futuri
Turba Poëtarum, & vario Modulamine ludunt
Geſta Ducum, fuſaſque Acies, Regumque Ruinas,
Annales rerum, & Famæ Monumenta Britannæ.
Se quoque, non Partem exiguam, ſtupet ANNA Triumphi,
Permiſtaſque ſuas Laudes miratur in Illis.
Jam crepitus Citharæ, & ſociæ Diſcrimina Vocis,

Terrificuſque Tubæ clangor, Nervique loquaces
Concentum miſcent blandum, & lætabile Murmur.
Dædala convexi recinunt Laquearia tecti
Dulce melos, plauſuque frequens ſtrepit omne Theatrum.
Sic ingens *Macedo*, ſolio ſublimis eburno,
Victor ab Auroræ populis, domitoque *Dario*,
Aſſyrios inter Luxus, Epulaſque Deorum,
Horreſcit, Magico inſtaurantem Pectine Vatem,
Confuſam Armorum Stragem, & *Babylona* ſubactam.
Bellorum effigies, Simulacraque atrocia, mentem
Accendunt, ſtimuliſque igneſcunt fortius Iræ.
Militiam renovat, repetitaque Funera miſcens,
Jam partis fruitur geminato Marte Trophæis.
Nec tantum Regina ſuas fovet Advena Muſas,
Exquiritque, auditque levis Præludia cantûs,
Fauſta Rudimenta, & Studia haud ignobilis Oti,
Ipſa ſed Aonii Præſes venoranda Senatus,
Et docet Exemplo, & Sceptro moderatur *Athenis*.
Spondet in *Oxonidas* animum mentemque benignam,
Haud ignara mali, ſortem miſeratur iniquam,
Promittitque alios Soles, Aulæque Favorem
Jam longum inſolitum, verſamque revolvier Urnam.
Fotricem agnoſcunt læti, dum mille loquenti
Suave fluunt Veneres Auguſtæ, & Amabile pondus.
Cernis, ut elatæ Fulgur venerabile Frontis,
Ludentes circum molles caſtigat Amores!

Terribi-

Terribiliſque ciet Formoſi Gratia vultus,
Gaudia miſta metu, Majeſtatemque decoram!

Quin Turba accedens Procerum ultro jam ambit Ho-
Caſtalios; Faſtis *Rhedycinæ* inſcribitur Ordo [nores
Patricius, ſolitos geſtit deponere Faſces,
Fatiferoſque enſes, rigidique Inſignia Martis,
Victriceſque hederâ velans Parnaſſide frontes,
Munere Pieridum, Tyrioque exultat Amictu.

Qualis ubi *Enceladum* Phæbus, cæloque minaces
Terrigenas domuit, Superoſque reduxit Ovantes,
Exuit æratos habitus, vacuamque Pharetram,
Emeritoſque Arcus humeris: procul igneus Horror
Ardeſcit Clypei, nudatos Caſſide crines
Obcingunt ſertis Muſæ, Dominumque coronant.

Dum tremit Armorum convulſa Europa Tumultu,
Ultriceſque Aquilæ Gallis dominantur in Oris,
Hic Artes *Regina* jubes floreſcere Pacis,
Palladiamque Oleam inter Laurumque virentem.
En! Donis accenſa Tuis, Literata Juventus
Æmula *Olympicæ*, certamine ſervet, arenæ,
Frangere Cornipedem, greſſuſque perita retortos
Vertere, criſpantique vibrare Haſtilia dextrâ.
Belligeræque Togæ ſurget numeroſa Propago
Pace Decus Genti, & Bello Tutela Britannis.

Johannes Lawrence Coll. Magd. Armig.
Sup. Ord. Commenſalis.

Ormondus Triumphans.

TAndem acies & caſtra juvant: tandem arma Britanni
Duximus auſpiciis Divorum, atque omine fauſto.
Non ultra ad vacuas lauros, & inania bella
Cogimur, in medio docti torpeſcere campo.
Non ultra puppes, & vaſtâ mole carinæ,
Incaſſum freta longa ſecant, ludibria ventis.
Nunc priſci Angligenis animi; nunc dura nepotes
Accendit patrum virtus: iterum agmine verſo,
Creſſiacas acies, ſtragemque, & fata ſuorum,
Cum gemitu memorat Gallus: rurſum æquore in alto
Claſſibus ambuſtis, exacti prælia ſecli
Horret *Iber*, torvumque Hiſpano in littore *Draconem*.
O Animæ Heroum, queis longum ducta per ævum
Fulget in Angliacis virtus clariſſima faſtis;
Aſpicite en, qui veſtra pari veſtigia paſſu
Armorum laudiſque premat: ſeu poſcat aperto
Marte ſonans acies, & denſo milite fervens;
Seu pelagi tentandum iter, & nova regna per undas
Quærenda, ambiguuſque alieno in littore Mavors.
Non ulla agglomerati hoſtis, non ulla morantur

Intre-

Intrepidum *Ormondum* dubii discrimina ponti,
Ingenti confisum animo, famæque *Britannæ*.
Audiit Hesperium vectari Heroa per æquor,
Quà Libyam Europamque secans interluit æstus,
Audiit attonitus vicinæ Cantaber oræ
Accola, conspexitque rates, quas omnibus undis
Miratur Nereus, tali se vertice ad auras
Attollunt, tantâ vada cærula mole fatigant.
Inde omnis vario confusa Hispania motu,
Et trepidare animis: nec quisquam adversa tueri
Littora, nec pictas terrâ prohibere carinas.
Ibant egressi ratibus densissima pubes
Angligenûm, lætique tenent Cantabrica rura;
Ibat & *Ormondus*: simul acri Marte feroces
Incaluere animi: Nil te nunc, vane Iber, alto
Profuit aut vallo sepiri, aut urbe recondi.
At Pater, æquoreos qui torquet Numine fluctus,
Solvere vela viros, viridique incumbere ponto
Ocyus admonet: Eia, rates subducite, Major
Instat Mars, potiorque quatit Victoria pennas.
Ecce mari medio, placidum spirantibus Austris,
Dives ab auricomis *Indis* terraque *Peruva*
Classis adest; una Hispanæ dant vela carinæ,
Una Celtigenum verrunt salsa æquora puppes.
Intus opes, uteriſque latent congesta sub imis
Extremi spolia Orbis; & altas pondere costas,

Et latera immenſum diſtendit acerna Metallum.
His *Lodoix* caſtra, atque urbes, & vertere regna
Voverat; His ſolium incertum fulcire *Philippus*.
Fruſtra. Namque ſimul curvo portum anchora morſu
Prenſat, & in patriis exultat navita ripis;
Continuo irruerant *Britones*, miſeriſque carinis
Horribile infundunt Bellum, portuque potitas
Corripiunt. Non ſic incautam invadit ab alto
Æthere avem præceps, & adunco comprimit ungui
Accipiter; Non ipſe Notus tam dira per undas
Fata movet, quaſſanſque rates, & gurgite volvens.
Arma, igneſque volant picei; concurritur atro
Fulmine: tum celerem *Ormondus* quatit impiger haſtam,
Et læto ad terram pede proſilit; emicat una
Littore lecta manus, ſtrictique ad prælia ferri
Intendit duros animos, hoſtemque requirit.
Ille procul nemore in dumoſo, & montibus aſpris,
Accepit ſonitum, & retro veſtigia preſſit.
Præda jacet, rapiuntur opes, atque Indica Gaza.
At Tibi quas, *Ormonde*, *Britannia*, quas Tibi, *Victor*,
Per Te ſalva, paret, per Te ditata, corollas?
Ingredere, O Princeps, & plurima tempore circum
Laurus eat, curruſque oneret captiva ſupellex,
Enſeſque, antennæque, avulſaque roſtra carinis.
Stipat confertum & plauſu ferit æthere vulgus,
Matres atque Viri: Procerum venerabilis ordo

Incedit

Incedit, magnuſque canit Pæana Senatus.
Spectat & Ipſa ſacros ANNA, atque agit Ipſa triumphos.

Interea feſtivæ haud ultima gloria pompæ,
Exultat *Rhedycina*; ſonant vocalia plectra,
Pieriique iterant plauſum penetralia Templi.

Simon Harcourt Equ. Aur. fil.
ex Æde Chr. Sup. Ord. Commenſ.

VIGO.

VIGO.

NUnc Orbis gemini gazis, domitique triumphat
Rookius Oceani ſpoliis, & Victor iniquas
Abſolvit Gades, Patriæque inſtaurat honorem.
Jam video, horrendæ ſeſe offert area pugnæ,
Innexa ut vaſtis immania robora Vinclis
Nerea frænatum impediunt, undaſque retorquent
Cum ſonitu illiſas, ut claſſis Gallica fulmen
Non vacuum prorumpit, ut ardua pinus Iberi
Exſtat obumbrato fluctu, ventumque laborantem
Exercet, ſulcanſque gravi ciet æquora prora!
Ut late hoſtiles fulgent in littore turmæ,
Murorumque minæ, tormentaque hiantia circum
Ambiguum pandunt Martem, diverſaque bella!
O! Hobſone, aciem in mediam, glandeſque canentes
Irruis, & fracto ferrata repagula roſtro
Concutis impellens, moles labefacta fatiſcit,
Et quercus chalybiſque moræ, nexuſque ſonantes
Diſſiliunt, & ſparſa cadentes æquora tollunt.
Jamque unam in navem belli vis detonat omnis,

Turmæ

Turmæ, arces, classes, laxataque robora tundunt
Stridentesque trabes, malos, fractosque rudentes
Decutiunt, fissam lacera implent membra carinam,
Undantesque foros, & lubrica sanguine transtra:
Jam latus invadit congesta bitumine puppis,
Immittitque ignem costis, tardisque per auras
Luctatur fumus gyris, jam fumea nautæ
Membra ardent, jam cruda æstus depascitur ora,
Irrodensque ignis graveolentibus ossibus hæret:
Pergis adhuc, medioque furis metuendus in igne,
Vulcanumque domas, hostesque repellis ovantes,
Antennas, proraſque, foroſque, hominesque, trabesque
Immisces lacerans, Gallûm quassata laborat
Classis, & admissa fusidens bullit in unda.

At quo Me fessum raptas, *Ormonde*, volentûm
Musarum labor, O præsens tutela Britannûm
Relliquiæ Ossorii æquales, ut cuspide turmas
Undantes propellis, ut acri dimetis ense
Egregiosque duces una mistasque cohortes:
Quam vellent iterum socias junxisse catervas
Ormonde, notæque elabi fulmine dextræ!

Jamque redux fracti deducit navita Iberi
Victor opes, auri neglectos calcat acervos,
Et mista nardo piceos exhalat odores.
En! ut captivum rutilis fornacibus aurum
Mulciber exsultans versat, memoresque metalla

Accipiunt

Accipiunt signata notas, ardescit in auro
Classis Ibera suo, vomit ignes usta rigentes
Puppis, & in solido subsidunt æquore Nautæ.
Nunc ANNÆ faciem agnosco, vultusque sereni
Blanditias non indecores, in imagine chara
Hærent suspensi Britones, pueroque stupenti
Ostendit pictos mater grandæva triumphos.

Rob. Keck è Coll. Univ.
Gen. Com.

Classis

Classis Anglicana.

MItte ſequi pavidos ſubjecta per æquora Gallos,
Rooke, nec hybernis Lauros concrede Procellis:
Auſpice Te *Britonum Neptunia* Regna pererrant
Securæ Claſſes, ſiccoque occluſa putreſcunt
Robora *Gallorum* Portu, dum pervia ſolis
Saxonidis Annæ agnoſcunt maria omnia Sceptrum,
Totus & inſervit dominantibus *Æolus Anglis*.
Rookus Celtarum ſtridentes vindice flamma
Exuſſit Naves; non illas Ignibus Auri
Eripuit fulgor, non picti Gloria Roſtri:
Fumat adhuc, nigriſque horret ſtrata Ora Ruinis.
Ille etiam hoſtiles eluſit viribus impar
Claſſes, & ſecurus opes evexit Eoas.
Ut cauti Herois præſens Audacia Pugnam
Aufugiens ſimulat! Parvis rubra ſigna Phaſelis
Ardent, imbelleſque minantur Prælia puppes;
Celta hæret, ſpecieque doloſi Martis inani
Horreſcit perculſus: inermes territus hoſtes
Quæſitamque diu toto fugit æquore Prædam.
Non ſic Heroem Reditus plaudentis *Iberi*
Decipit, at ſubito notis Gallæcia pallet
Angligenûm ſignis, mox Æquora lucida flammis
Fervent, & Sociæ miſcent incendia Claſſes:

Sed

Sed non vela Rates, varius non abripit Ordo
Remorum, aut Pinus moles immensa tuetur
Ignavas, Onus Oceani, Boreæque Laborem.
Jam tandem *Lodoix*, marcentes Vertice Lauros
Sentit, & amissas dolet irreparabile Gazas
Empturas famam: Jam frendens irrita luget
Ausa Nepos, fractisque infames Navibus Oras
Furtivumque odit solium, atque ingloria Sceptra:
Mox levis irato Juvenis nova pectore versat
Bella, & Vindictæ studio lætatur inani.
Arrecta *Hispani* sic *Drakii* Vota Tyranni,
Et spes elusit tumidas, Pontoque caducas
Mersit Opes; infensa minax sic Tela *Philippus*
Quassavit frustra, vanasque exarsit in Iras.
Nunc Classem *Lodoix* majori mole superbam
Instauret, gravidæque Rates spolium omne reportent
Indorum, immanique fatigent pondere Fluctus,
Ut Tibi dent fusæ repetitos, *Rooke*, Triumphos.
Tu rursum *Angliacæ* Classis victricia pandes
Carbasa, flaventemque invisa ad Littora Massam
Trajicies, laceraſve immerges æquore Puppes,
Et sua restitues exhaustæ viscera Terræ.

Humphredus Fowle Armig.
è Coll. Univ. Gen. Com.

Fœdus

Fœdus Triumphale.

DUM læta *Oxonii* pubes, Sacrata Camænis,
Omnia quæ vacuas exercent carmina Mentes
Dividit: Et pars illa ſuo meditatur honores
Ormondo, Pars illa perenni carmine donat
Militiam *Churchille* tuam, victriciaque Arma;
Impar ipſe Oneri tanto, quas *Belgia* palmas,
Et quas *Rhenus* ovans peperit, quaſque æquora Ponti,
ANNA, tibi, Sociiſque tuis, quaſque *Itala* tellus,
Aggredior, totum depingens Carmine bellum.
Flandria ſalve iterum *Angliacis* dicenda poëtis!
Æmula *Pharſalici* Campi! quâ Martia proles
Naſſaidum, contraque adſtans *Lodoicus* in armis
Inſtruxere acies, ad mutua fata paratas:
Sæpe tuam *Gallus* ſanie infuſcavit arenam,
Sæpe Momordit humum Moriens, ſeu priſtina veſtri
Prælia *Naſſavi* memorem; ſeu Nupera Regum
Fœdera junctorum, palmaſque exinde recentes
Churchilli, hærentemque decoro in vertice laurum.
Vix tamen *Auriacus* miſit tot funera *Gallis*,
Totve tuâ proſtravit humo, totve Oppida victor
Diruit,

Diruit, Ancipitis per longa decennia belli
Corpora quot letho dedit, aut quot terruit Urbes,
Bellum Uno prope conficiens *Malburius* anno.
Venloa ſi ſpectetur & inſuperabile vallum
Rur'mondæ, gravidæque armato milite turres,
Foſſarumque Moræ; nihil eſt quod pulſa *Namurci*
Mœnia miremur, dubiæque trophæa *Seneffæ*.
At te nulla dies unquam memori eximet ævo,
Nullaque inornatum chartis te Muſa ſilebit,
Qui meritum ducis *Sudore & ſanguine* nomen.
Voſque diu bello aſſueti, ſi qui eſtis in armis,
Queis prius *Hungaricæ* teſtari contigit Urbis
Excidia, & quantus Juveni tum incanduit ardor,
Vos Capiti huic rurſus Muralem aptate Coronam.
En video! Agnoſco veteris veſtigia Flammæ;
Quâ quondam accenſus *Budæ* tentare Minaces
Auſus erat muros; fruſtra illi *Turca* ſuperne
Inſtat anhelanti, atque minatur acinace Mortem,
Vexillumque, pedemque hoſtili figit arena.
Idem animi vigor, & non degener ira furentem
Rurſus in arma rapit, rurſuſque obſeſſa refringit
Mœnia, & Hoſtili primum ſeſe ingerit Urbi,
Mox pacem exorant *Galli*, ſociiſque recepta
Venloa gaudet Ovans veterem excuſſiſſe tyrannum.
Quid referam (exiguas palmas) ſine Nomine Vicos,
Cæſareo quos More domat, venienſque videnſque

Victor

Victor abit *Churchillus*, ut urbibus intonet altis,
Queis Natura loci, terræque impervia valla
Heu! vanam fecere fidem, nil posse labores
Churchilli, ingentemque animum, tormentaque Belli.
Leiodium hunc sensit, *Gallique* inamabile regnum
Exuit, Indigenas *Batavos*, & Mitius ANNÆ
Præsidium amplectens. Fruſtraque exultat iniquâ
Tempestate Anni, nostros auctura triumphos
Bonna, brevem factura Moram socialibus armis.
Qualis ubi Jovis ira, malive incuria Servi
Ædibus immisit flammam, furit illa, domosque
Non interrupto cursu, & fænilia verrit;
Sin forte arripuit templum, quod saxea circum
Mœnia defendunt, solidæque ex ære Columnæ,
Paulum reprimitur; Nec longo flamma moratur
Tempore, quin saxa in cineres liquefacta resolvit.
Cui satis est Animi sociale per Omnia bellum
Posse sequi, & duras *Italo* subsidere partes
Eugenii memorare, insperatosque triumphos?
Aut ut conjunctis ceſſit *Landavia* turmis,
Heu longum expectans, quos usque infida Maniplos
Gallia, vel miseræ *Bavaria* mitteret urbi?
O Mihi si Genii sat erat tua dicere facta,
Vellem *Ormonde* volans pelago dare vela patenti,
Extrueremque novas navali ex ære columnas
Alcidi Angliaco; *Hispanæque* incendia classis

Hic

Hic depicta darem, & pelago diviſa voraci
Atque *Anglis* Spolia, *Ormondo* ducente Catervas:
Quis furor *Hiſpani*, Quæ tanta inſania vobis!
Creditis avectos hoſtes? ant Cæpta putatis
Ormondi & *Britonum* eventu caritura ſecundo?
Sic poſtquam pubes *Argiva*, & Magnus *Achilles*
Obſidione diu cinxiſſent mœnia *Trojæ*,
Conſcendere rates iterum, & finxere receſſum;
Mox reduces Securæ Urbi, & Nil tale timenti
Injecere faces, improviſamque ruinam.
Nec ſperanda tibi eſt melioris gratia fati,
Seu placeat terra, pelagove revolvere bellum
Infauſtum, & toties fatale laceſſere fœdus:
Uſque tuis *Lodoice* eadem obluctabitur auſis
Armorum pietas, ſociorum invictaque virtus.
Quid nitidi vultu, gracileſque in Corpore *Galli*,
Aut tardi inceſſu *Hiſpani*, Corda aſpera Contra
Angligenûm poſſint, *Batavi*que immania membra,
*Germani*que alto ſulcatam vulnere frontem?
Hos ANNA irruptâ conſtrictos compede jungit,
Quam Divi ſociis voluere fidelibus auctam,
Extorquere tibi *Heſperiam*, male partaque regna.
Sic quando impulerat regnandi dira libido
Progeniem terræ affectare palatia Cœli;
Diique Deæque Omnes, quibus eſt cura ulla tueri
Æthereas ſedes, ſtygis inviolabile flumen

Teſtantur,

Teſtantur, junctoque laceſſunt Numine bellum:
Hinc rubet *Æmeis* metuendus *Jupiter* armis,
Mars frameâ, triplicique intentat cuſpide mortem
Neptunus, Contraque furens quatit Ægida *Pallas*;
Jam fugit haud ultra patiens Gens improba pugnæ,
Fulmineæque Manûs *Jovis*, atque immerſa paludi
Sulphureæ, intactas cœli multum expetit arces.

Benj. Rudge Nov. Col.
Socio-Commenſalis.

Impotens

Impotens *Galliæ* Ambitio.

JAmdudum tumida præcepit mente futuras
Borbonius Lauros, graſſantibus *Itala* Regna
Devaſtanda iterum *Gallis*, priſcumque Nepoti
Pollicitus *Caroli* imperium, Mundique ſubacti
Reges ſuppliciter pronos, ſubjectaque Sceptra.
Fruſtra: jam veteres, cana de fronte, Coronas
Turpiter avelli plorat, longamque Triumphorum
Abrumpi ſeriem; recolit Juvenilia Bella
Infrendens; crebraſque, Senectæ Opprobria, Palmas.
Audit, ut *Eugenius Latiis* exultet in Oris
Victor, ut exanimes volvunt tabentia *Galli*
Corpora, ſuſpirantque ſolo, atque ingloria Caſtra
Defenſi Tenebris fugiunt, & languida paſſu
Crura trahunt tremulo; nivibus dum *Teutones* albent
Perpetuis, refugiſque illudunt Hoſtibus, udo
Sub cœlo vegeti, Brumæque Horrore fruuntur.
Sed neque *Borbonii Flandris* ſors mitior Armis
Affulſit; cedit ſpreto *Boufflerius* Hoſti,
Inviſas trahit uſque moras, atque ore minaci
Aufugit indignans; Illum angunt tuta Deorum

Templa,

Templa, Ignique ereptæ Urbes, Flaventiaque Arva
Meſſibus, & læti Pax intemerata Coloni.
Interea *Senonûm* nutantes decutit Arces
Marlburius; fuſoſque *Angli*, pavida Agmina, *Gallos*
Propellunt, Armiſque graves obſtantia tranant
Flumina, & Aëriæ faſtigia Turris, anhelo
Niſu conſcendunt: Explorat *Celta Britannos*
Ereptos viſu, & capta ſecurus ab Urbe
Deſpicit, amotiſque inſtantes quærit in Agris.
Agmina conſcribes fruſtra, infidæque *Cremonæ*
Committes, *Lodoice*, Duces; molimine vano
Claſſem reſtitues, avidi ſpolia Annua Ponti:
Non *Britonum* poſthac vicinior Arma laceſſes,
Cum tibi *Burgundus* referet, quali Impete Turmas
Sternunt oppoſitas, qualique fugacibus inſtant.
Sed Lauros impune feres, facileſque Triumphos;
Ludicra Vota dabunt, & Mercenaria pandent
Templa Sacerdotes; venali *Gallica* verſu
Fulmina *Bollæus* pinget, cladeſque *Batavûm*,
Objectaſque moras *Anglis*; ſic Bella movebis
Securus famæ, tutuſque in Carmine Victor.

Johannes Baber, Arm. Fil.

è Coll. Exon. Sup. Ord. Commenſ.

In Obitum Celſimi PRINCIPIS *GEORGII* PRINCIPIS DANIÆ.

NON Præficarum turba inamabili
Stridore plangens, non Procerum cohors
Pullata, non dives ſepulchro
Addita marmoreo ſupellex
Umbras potentum certius eximunt
Oblivioſa nocte, Heliconidum
Quam vox ſororum, barbitoſque
Perpetuans breve tempus ævi.
Plectro loquaci ſeu celebrat ducum
Regumque geſta, & tempora laureis
Cingit coronis, luctuoſa
Seu decorat cineres cupreſſo.
Te longo avorum ſtemmate nobilem,
Te, magne GEORGI, mens memori jubet
Ornare verſu; ſi Camœnæ
Annuerent faciles labori.

Me

Me ſi poetarum inſereret choro
Favens *Apollo*; non *Venuſinum* ebur
Sonaret *Auguſti* trophæa
Plenius; aut calamo altiori
Dircæus ales ſcriberet invicem
Deprœliantes pulvere in Iſthmio
Heroas *Argivos*. ſed æquus
Non mihi ſpiritus, & ſuperbis
Par Muſa cœptis. Non ego *Sueones*
Auſim ſubactos plus vice ſimplici
Referre, non *Cimbrûm* triumphos
Indecori tenuare verſu.
Quid Marte poſſet dextera GEORGII
Teſtantur acris *Viſmariæ* lares,
Lundiſque, concluſuſque Frater
Hoſtibus in mediis, iniqua
Jam jam implicandus compede: ni Tua
Ultro obſtitiſſet vis generoſior,
Illuſtris Heros, expedito
Fratre, ruens per acuta belli.
Videre fortem Te *Senonum* retro
Verſæ cohortes, vidit *Iernia*
Bello furentem, *Boyna* rubro
Amne fluens Tibi volvit undas.
Quo raptor audax? deſine buccinis
Certare plectrum. ludere te decet

Lætos amores, & jugalis
Fœdera non violata tædæ.
O ſponſus ANNÆ dulcis! amantium
O par beatum! perpetuas parant
Vobis corollas nuptiarum
Præſes *Hymen* & amica *Juno*.
At O! Deorum quis *Britonum* invidens
Sorti, quis ANNAM ſæpe puerperam
Orbavit, eheu! quis fidelem
Diripuit gremio Maritum?
Quin ſiſte *Clio*; nec tetrici vices
Scrutare fati, quas ſtatuit Deus,
Mortalium demptas ocellis,
Non mihi, non tibi detegendas.
Ægræ admovebis, Pieri, rectius
Menti levamen; nec tenuis tuo
Laus barbito ſuccreſcet, ANNÆ
Quod dederit leviùs dolere:
Ni forte mœſtas altius inſonans
Inter ſorores adſtiteris rogo
Herois, æternoque verſu
Splendidius decoraris urnam.

Honorat. D. *Johannes Carteret*
Baro de *Hawnes*, ex Æde Chriſti.

Exer-

Exercitus Exauctoratus.

VOS O! Relliquias Belli, Mavortia corda,
Qui bis denæ hyemis glacialia frigora paſſi,
Æſtivoſque ignes; torvo quibus horret in ore
Multus Honos, ſtimulatque ingens præcordia Virtus:
Vos patrio procul orbe vagi, triſtique laborum
Infracti ſerie, charis ſuccedite tectis,
Dilectumque Solum, dulceſque reviſite Natos.
Parcite jam Pugnæ, Sudore & Sanguine partas
Sumite Mercedes, & non ingloria *Pacis*
Otia, victriceſque Oleis intexite Lauros.
Non Belli auxiliis, aut defenſore *Gradivo*
Tempus eget; non *Flandriacis* animoſa Phalanges
Immittit campis, vel *Iberis* intonat oris
ANNA, ferens ſtragem; ſed non oblita laboris
Veſtri, fida Cohors, Meritis præclara recuſat
Præmia; nec patitur longo ut colliſa Duello
Agmina, pugnacemque Manum, infeliciter angat
Res anguſta domi, & Penuria ſævior Armis.
Ecquis erit, laceros Artus cui miſſile Plumbum
Infregit? cui Membra rigent exanguia Succo?
Ecquis, inæquali fultus Tibicine, Greſſus

Fert dubie alternos! aut mancæ Opprobria Dextræ
Ingemit? En! pandit mutilæ domus hoſpita turbæ
Chelſeiana fores, & amico ſub lare feſſos
Tutatur, duri penſans Incommoda Martis.
Vos, quorum imperiis Tempeſtas horrida Belli
Paruit, illuſtres Animæ; Qui Signa *Britannûm*
Ad gelidas *Iſtri* ripas, *Rhodanique* fluentum
Fixiſtis, *Sicorim*ve *Hiſpana* per arva volutum
Indomiti tranaſtis, honeſtæ Inſignia Palmæ
Circumſtant Spolia ampla; & non indebita tantis
Uſque favens Auſis Stipendia porrigit ANNA.
Vos, humili de plebe cohors, pars Infima pugnæ,
At non degeneres Animi, neque frigida bello
Dextera, Vos iterum antiquis aſſueſcite mentem
Artibus, immunes quæcunque per Oppida Cives.
Ne pudeat campum fractis invertere glebis,
Aut rigidam in falcem gladios conflare recuſos.
Non hoc tempſit opus, fundi *Serranus* aviti
Cultor, quanquam Armis *Æquicola* rura ſubegit
Victor, & aurato inſcendit Capitolia Curru:
Sed Faſces, *Romane*, tuos, Trabeamque reliquit,
Belligeramque manum priſco ſubmiſit Aratro.
Nunc montis per aprica, reductæ aut vallis in umbra,
Prælia fas antiqua, & geſtas ordine Pugnas
Enumerare; licet turres, & celſa *Namurci*
Ponere Munimenta, Acieſque per arva *Blenhemi*
Ducere,

Ducere, & infixo deſcribere Caſtra ligone.
Hac ibat patriis acer *Churchillus* in armis,
Agmen agens *Britonum*; hac Aquilis victricibus inſtans
Eugenius, præclara animabat in Auſa *Sicambros*:
Parte alia, *Boiæ* retro ceſſere Cohortes,
Tendebatque manus ſupplex *Tallardus* inermes.
Hæc ubi commemorat nixus Bellator aratro
Emeritus, dulces pendent circum ora Nepotes,
Angliacoſque iterum expoſcunt audire Triumphos.
Atque aliquis, tenero cui Virtus pectore inardet
Acrior, inſolitam circum præcordia Flammam
Sentit, &, ingenti lætatus Imagine rerum,
Semper Equos, atque Arma Virûm, Pugnaſque requirit.
Sic Pater *Æneas*, ubi longi Incendia Belli,
Fataque, Fortunaſque *Phrygum*, Strageſque recenſet,
Multa ſuper *Priamo* memorans, ſuper *Hectore* multa:
Stat juxta *Aſcanius*, jamdudum invadere magnum
Quid meditans; Puerique animos in bella furentes
Facta Patrum ſtimulant, & Avitæ gloria Famæ.

Car. Trelawney Reverendi admodum in Chriſto
Patris Epiſc. Wint. fil. nat. minor ex Æde Chr.

In Obitum Illuſtriſſimi Principis DUCIS GLOCESTRENSIS.

SÆpe ego, dum ſiccos urebat *Sirius* agros,
Verſabam patulæ fuſus ſub tegmine fagi,
Quos ſoleo mecum comites educere, libros.
Inſpexi *Flaccum*, inſpexi divina *Maronis*
Carmina, ſollicitas animi fallentia curas.
Illic *Quintilium* vidi ut ſopor altus haberet,
Vidi etiam *Myſten* raptum puerilibus annis,
Teque tuas, *Valgi*, juſſum finire querelas.
Hîc ſenis Evandri fletus, juveniſque legebam
Pallantis lethum, *quem non virtutis egentem*
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.
Te vero ante omnes, magno percuſſus amore,
Te primâ extinctum legi, *Marcelle*, juventa:
Ter, quater evolvi *Anchiſæ* memorabile carmen,
Et quo Te luctu, dixi, flet *Romula* pubes!
Quo ſtudio in tumulum flores, triſteſque cupreſſos
Deponunt!

Deponunt! & fors aliqui quoque carmina donant.
Multa ſuper Puero recolens, & multa revolvens
Matre ſuper miſera, Quis Te tum, *Octavia*, dixi,
Horror, quæ luctûs orbam turbavit imago!
Et quantos *Cæſar* gemitus de pectore fudit!
Hæc Ego dum mecum; ſtupefactas impulit aures
Confuſus malè clamor, & illætabile murmur.
Venerunt Nymphæ, & paſſis dixere capillis,
Heu! GLOVERNUS ubi eſt? venit *Tritonia Pallas*,
Et, GLOVERNUS ubi eſt? dixit: quin venit *Apollo*,
Filaque flebiliter pulſans, jam deſine, dixit,
Marcellum flere, hæc GLOVERNUS munera poſcit;
Munera, GLOVERNO vellem quæ ſola negari.
Felix *Marcellus*? dixi, quem Muſa *Maronis*
Defunctum cecinit: felix *Octavia* Mater!
Quæ Nati egregias laudes moribunda legebat.
At quis Te, GLOVERNE, tuamque in ſecula famam
Æternet? Tibi quis lauros & præmia vatum
Non moritura paret? non hoc ego debilis auſim,
Nec mea ſperârit laudes æquare canendo
Muſa; Vale, Puero tantùm prælate Latino,
Magne Puer, quantò vatem ſortire minorem.

Richardus Clutton,
Coll. Weſt. Alumn. Reg.

Umbra defuncti
DUCIS GLOCESTRENSIS
alloquitur Matrem.

QUid, Mater, gemitu, quid querimoniis
Urges me nimiis? non veniens Tuis,
Discedensve valebit
Finem lux dare quæstibus?
Nobis æthereas non iterum datur
Ad sedes reditus, quos adamantina
Ditis porta coërcet,
Immitisque *Stygis* liquor
Circumfusus habet. Non Dea *Cypria*
Dilectum Puerum faucibus eripit
Orci, non *Hyacinthum*
Herbarum revocat Deus.
Me charis iterum fratribus additum
Mulcet grata quies, dum vacui simul
Dulces ducimus horas
Plausus inter & oscula.

At

At Tu mitte queri; ſic Tibi mitia
Addant fata dies, quos mihi dempſerint;
Et lugubre rependat
Damnum, prole benignior
Ilithyia novâ. Te Dominam volunt,
Te poſcunt columen Regna *Britannica*,
Sævum pelle dolorem,
Sævum pelle metum Tuis.
Tu vive atque vale; heu non tuus! avocor
Ad Manes; tenebræ diffugiunt polo,
Et me lucidus efflat
Adverſis Oriens equis.

Carolus Tertius Hoſpes.

QUÆ nova Regalem pandunt ſpectacula Pompam,
Vinſoriamque Domum feſtivis plauſibus implent?
Quid *Britonnum* Proceres ſtellata veſte ſuperbi
Incedunt, niveoque choro, circum atria, *Nymphæ*
Collucent, dum multa *Venus* vibrat æmula formam,
Et gemmis, oculiſque immiſcet amabile fulgur?
Aſpicis! in medio exultat *Regina* triumpho
Sublimis, *Regem*que humilem, atque ad genua volutum
Erigit, hoſpitioque fovet complexa benigno.
Agnoſco *Carolum*, rigidumque in pectore *Vellus*
Aurato, & vultus, majeſtatemque decoram
Auguſti juvenis, ſibi quem promittit *Iberus*
Expectans, Dominumque requirit decolor *Indus*.
O *Princeps*, vernans Decus, & ſpes altera gentis
Auſtriacæ! ut tacitam pertentant gaudia mentem!
Ut Te *Saxonicæ* ſplendor Venerabilis *Aulæ*
Raptat inexpletum! variam dum lumine *Divam*
Obliquo ſignas, excandeſciſque tuendo:
Hic charam oblitus patriam, & diſcrimina *Nerei*
Amplius haud ventos, & *Tempeſtatis* iniquæ

Incuſas

Incuſas iras; hic tædia longa rependis
Difficilis curſus; dubiis ſolamina rebus
Expertum, grata in Terra juvat uſque morari.
Quà blandum *Imperium* exercet metuenda *Venuſtas*.
Aſt ANNÆ Famulas inter, nitidæque coronæ
Molle ſatellitium, Comitem, *Malburia*, fidam
Te colit, & digitum radianti munere cingit
Hoſpes Cæſareus; Forti qui dona *Marito*
Se tribuit fuco expreſſum, miſtoque colore
Spirantem; gladiumq; Auro atque Adamante coruſcum,
Horrendum *Gallis*; lato cum limite Victor
Blenimiæ frangit cuneos, *Senonum*que phalanges
Malburus metit, atque actas deturbat in *Iſtrum*.
Quin *Carolum* cunctantem, & dicere multa volentem
Mœſta vocat *Regemque* repoſcit *Iberia*, duro
Servitio oppreſſa, & frænum indignata *Philippi*;
Ergo iter ad *Portum* accelerat, quà plurima puppis
Neptuni dorſum ſecat, atque æterna ſupellex
Æquorei *Martis*, belli fæcunda futuri
Materies latet; hic miratur robora quercus
Angliacæ, pinus altas, piceoſque liquores,
Implicitos funes, atque unco vincula morſu
Ferrata, & textum velorum, & fulmine fœta
Tormenta, *Hiſpani* levia haud tutamina *Sceptri*.
Jamque Vale *Princeps*, da ventis plena ſecundis
Carbaſa, & optatis felix allabere Terris,

Hoſpi-

Hoſpitium recolens *Britonum*, & nunquam immemor AN-
Sic quondam *Æneam*, *Lavinia* Regna petentem, [NÆ.
Auguriis Divum, variiſque erroribus actum
Magnifico excepit luxu pulcherrima *Dido*;
Dimiſitque opibus lætum, auxilioque refecit
Sceptri ſecurum, & dignum *Fatalibus* arvis.

Rich. Chichely A. B. Equitis Aur. fil.
Coll. Om An. Soc.

Muſa-

Muſarum Oblatio.

AD REGINAM.

O DIVA! Cujus præſidio *Tuæ*
Crevere Vires, & Decus *Angliæ*,
Sperata Quæ feſſis dediſti
Otia, Lætitiamque Terris;
Dum TE Senatus, fidaque Civium
Stipant ovantûm Gaudia, Supplices,
Nec Munus indignum ferentes,
Reſpicias facilis Camœnas.
TE grata juſtis tollere Honoribus
Europa certat: TE, quia perfidos
Frænare gaudentem Tyrannos,
Supplicibus pariter benignam.
TE *Cimber* audax, TE, calidæ nimis
Fidens juventæ, *Vandalus* Arbitram
Appellat, æqua ſortientem
Imperia & Populos bilance,

TE,

TE, *Cantaber*, TE *Gallus*, & *Africæ*
Prædator Oræ *Maurus*, & ultimo
TE missus à Solis cubili
Attonitus veneratur *Indus*.
Festo sonantes Carmine TE Tuæ
Colunt *Athenæ*; læta fidelibus
TE plausibus poscunt *Theatra*;
Postera nec reticebit Ætas:
Dum Res *Britannæ* materiem dabunt
Seram Poetis, dum steterit Lapis
Sheldoni, & *Isis* dum lavarit
Aonidum sacer amne Sedes.

Henricus Baro de *Coleraine*
E Coll. Corp. Christi.

Cladis

In Obitum Illuſtriſſimi Principis

DUCIS GLOCESTRENSIS.

O Qui impotentes, non ſine Numine,
Eludis artes, quas ſtudio parat,
Furtiva molitus trophæa
De tenero, Lodoicus, ungui;
O qui tumultus, Fataque pendula,
Firmas Britannis, reſpice lugubrem,
Naſſove, terram; jam futuri
Principis, atque Tui carentem.
Quouſque Cœlos flebilis Albion
Conqueſta, Divos lugeat aſperos,
Luſuſque Fortunæ, procacis
Vertere funeribus Triumphos?
Heu Fata ſævo lœta negotio!
Auguſta pubes occidit! & ſimul
Spes omnis, & tutela Sceptri
Egregiam comitatur urnam.

Quis

Quis jam perito pollice, nobilem
Quæ Muſa verſu ludat imaginem?
Quis viva mentitis juventæ
Pingere calleat ora formis?
Seu qualis amplâ *Vinſoriæ* in domo
Inter puellas fingitur artubus,
Pedeſque caſtigat ſolutos,
Motibus ad numeros reductis;
Seu docta fallens otia, ludicris
Splendeſcat armis, ac generoſior
Turmas recedentes puſillâ
Vexet Eques metuendus haſtâ.
Quæ non futuro prælia ſæculo
Illum gerentem viderat Anglia?
Quot ille fronti deſtinatas
Pollicitus fuerat coronas?
Fruſtra. Sororum non ſuperabilis
Obſtat voluntas. Frigida parvulo
Pubes ſepulchro nunc recumbit,
Victima nil miſerantis Orci.
At quem Deorum mœſta Britannia,
Quem tu querelis exanimis vocas,
Ad res labantes, Imperîque
Præſidium, columenque Sceptri?
Adſis, Cupido, Cœlicolum optime,
Arcum, & pharetram, telaque colligens;

Arun-

Arundinem immergas veneno,
Cote acuas calamique ferrum;
Nervo reducto, pectora in intima
Torque ſagittam; ſi, puer improbe,
Superbienti tot Triumphis
Auriaco dare vulnus audes.
O ſiqua Divæ filia pulchrior,
Cui fulgor oris lubricus aſpici,
Curas doceret molliores,
Naſſovium, teneraſque mentes;
Quæ non Senatus, quæ populus frequens
Effundet ultrò gaudia? Cæſare,
Victorias poſt tot paratas,
Virgineâ domito ſagitta.
Tantis Juventus orta Parentibus
Poſſit tueri Sceptra Britannica,
Deſideratum Principemque
Progenie parili reponat.

Digby Cotes,
Ex Aula Mag. Com.

Acq-

Academia Viadrina.

JAM longùm cæcis erroribus obruta, Tellus
Brennigenûm jacuit, denſiſque immerſa Tenebris
Barbara delituit Gens, nondum afflata Camænis:
Cum Tu, *Joacrime*, ingenuo perculſus amore,
Intactas ſacro Primus de vertice *Pindi*
Deducens artes, *Doctæ* fundamina *Sedis*
Oderæ ad ripas, Opus immortale, locaſti.
Hinc jubar inſolitum diffuſa Scientia cœpit
Spargere, & *Arctoo* victrix dominarier Orbi:
Dediſcit truculentum animum *Mavortia* Pubes,
Pacificamque colit media inter bella *Minervam*
Mitior, & ſtudiis floreſcit nobilis Otî.
Nunc juvat abſtruſas Rerum cognoſcere Cauſas,
Naturæque fugam ſcrutari, ambage latentis
Laſciva, & geminum radio depingere Mundum.
Non ultra Indigenas *Borealis* Terra Pruinas
Incuſat, Brumæve moras, lucemve maligni
Exiguam ſolis; noctes lucrata ſerenas,
Metitur curſus ſtellarum, lumina ſignans
Vicina, & propriam ſolertiùs aſpicit *Arctον*:
Vires Magnetis tacitas, Ferrique ſequacis

Conju-

Conjugium miratur, & inviolabile fœdus
Alterni nexûs, dum corpus ſtringit utrumque
Amplexu illaqueatum avido, irremeabilis Æther.
Mox ſecurus ovat Pelago Mercator, & *Indos*
Inſuetis tentare viis, per ſaxa laborat
Alba nive, æternoque horrentes frigore fluctus.
Hîc Medicæ viguere artes; & ſanguinis Error
Purpureus reflui in venas, cerebrique meatus
Subtiles patuere, & inextricabile textum.
Non ſibi diſſimiles Hîc *Juſtinianus* Alumnos
Oſtentat, ſanctis qui firment legibus orbem
Divulſum, renoventque infractæ vincula pacis.
Ignoſcas tamen, O *Sedes Viadrina*, benigno
Si fovet hoſpitio *Grabium Rhedicyna*, nec ultra
Hunc unum, tot *Becmannis* ſtipata, repoſcas.
Tale *Boruſſorum* decus, & diſtincta Triumphis
Sæcula, grata Tuis debet *Francfortia* Sceptris,
O Ingens *Frederice*, recens Diadema Capillos
Cui meritos redimit, ſurgentes erigis artes
Vindice Regali, atque Colendo faſce ſuperbas.
Se quantam ad laudem attollit *Viadrina* Juventus
Principis accenſa exemplo, qui haud degener Hæres,
Et *Proavûm* famam, & magni veſtigia *Patris*
Obſervans, proprias fovet & moderatur *Athenas*,
Ludiſque Aoniis leges, & præmia ponit.
At *Tibi* vel *Puero* vario munuſcula cultu

Fudit

Fudit docta cohors, Præclari Nominis umbrâ
Æternans chartas; jam cùm maturior Ætas
Creverat, en! properat Memores *Spanhemius Orbis*
Relliquias *Romani*, inscriptos *Cæsare* Nummos,
Dimidio, Tituloſque, extantiaque Ora metallo
Evolvit pretioso, & lucem *Annalibus* addit.
O mihi si Tecum, Genitor Venerande, liceret
Ardenti fluere *Eloquio*, & *Demosthenis* Arma
Concutere; egregias resonarent *Isidis* undæ
Spanhemii laudes, & fors numerarer in illis.
Fare *Pater*, Charum ut Pietas exornat Amicum
Intrepida, ut mite ingenium, & jucunda senectus
Doctrinæ mollit studia asperiora Profundæ.
Tu moneas, Veterum ut repetens monumenta Virorum,
Augustas inter Lauros, *Byzantiaque* Æra,
Et brevibus Rerum Simulachra rigentia Signis,
Prussiaco Capiti dignos exquirat honores:
Ille novos *Annæ* & *Frederici* excudat in auro
Vultus spiranti; *Imperium* felicibus armis
Defendant Socii; *Viadrus* commisceat Urnam
Tamo; *Teutonicoſque Britannica Mitra* coronet.

Tho. Burnet,
Rev. admodum Episcopi *Sarisburiensis* Filius,
è Coll. Mert.

CARMEN

In honorem Viri Celeberrimi & Principis Poetarum Domini IRIS GIBBESII, cum diploma, à Cæſareâ Majeſtate ſibi ex merito conceſſum, Æternitati in Muſarum Templo OXONII conſecraret.

OXONIUM gratare Tibi, nunc læta Theatri
Limina, *Sheldoniaſ*que Arces Gibbeſius intrat;
Cerne ut *Apollineâ* redimitus Tempora Lauro
Effundit Jubar, & *Phœbi* Patris æmulus ardet;
Cerne renidentes vultus, Vatemque *Britannum*
Cæſareo rutilantem auro, non dignior unquam,
In Pluteos *Boulleie* Tuos acceſſerat Hoſpes.
Pande fores, nec enim tanti tibi barbara gaza,
Theſaurique *Arabum* fuerint, non *Lydius* amnis,
Auriferi non unda *Tagi*; nunc inſerat aſtris
Hiſpalis inſanam molem, & Regalia Muſis
Hoſpitia *Eſcurias*: nunc alto vertice *Romæ*,
Et *Vaticanæ* feriant licet æthera Turres,
Altior ipſe tamen, cœloſque attingere viſa eſt

Bodleianæ

Bodleiana Domus, Genium quando illa *Britannum*
Accepit, patriis decus immortale *Camænis.*

Palladium Oxonii ſacrum, quo ſoſpite nunquam
(Mœnia ceu quondam *Trojæ* tutata *Minerva* eſt)
Aut belli furor, aut rabies inſana Popelli,
Hoſtica vel patrios violabit flamma Penates;
Soſpite quo nunquam redamatis *Iſidis* undis
Diffugiunt *Muſæ*, aut ſedem mutabit *Apollo.*
Hæc *Helicon Pinduſque* Deo eſt; æterna Camænis
Iſta Domus, quam ſic divinus Imagine Vates
Conſecrat, numenque ædes præſentius implet.

Jam ſacri *Druides*, venerandaque nomina *Bardi*
Et Dodonæis certantes quercibus Umbræ,
Fatidicique ſenes, peregrinos carmine Gallos,
Vicinumque ſuis, ornantes artibus orbem,
Accepere fidem, Muſas, ſtupuere *Quirites*,
Arctois veniſſe plagis, aquilaſque *Latinas*
Vincere, & aerias *Alpes* tranſcendere pennis.
Excidat Arviragus bigis, currumque ſequatur
Liber adhuc, poſitiſque minax Caractacus armis;
Donemus veteris Tibi victrix *Roma* Triumphos,
Exſolvis pœnas, cedis melioribus armis,
Et vinci gaudes, ipsâ *Gibbeſius* urbe
Romanos ſuperat *Latiali* Carmine Muſas.
Jamque triumphali cinctus radiantia Lauro
Tempora ſublimi ſcandit Capitolia curru,

Ipſe

Ipſe licet tantos vivus ſortiris honores,
Quos aliis non urna dedit, licet induat auro
Dalmatico Te ſacra manus, donoque verenduin
Cæſareo torquatus oves; licet ambiat unum
Et *Rhenus* pater, & cum *Tybride Sequana* vatem,
Tu Patriæ tamen uſque memor, non deſinis Anglas
In Laudes pulſare lyram, *Carolique* Triumphos,
Et toties victas *Batavûm* cantare carinas;
Inque tuo multus *Thamiſis* ſtat carmine, multa
Oxonia eſt, Tibi nec *Romana* Palatia tanti,
Et *Vaticani* Plutei, *Latiæque Camænæ*,
Quanti unus *Bodleius* erit; licet atria ſemper
Pontificumque Aulæ pateant, Tibi gente *Britannâ*
Hoſpitium, & patriâ malis conſiſtere terrâ.

Viſum aliter Fatis, &, quod datur, ora tuemur
Ficta tamen, vultuſque ſacros veneramur in aurum:
Sic Proavi coluere Deos, ſub imagine ſupplex
Concipit abſentes, & quos non cernit, adorat.

Ergo Decus Vatum, patrios dignare Penates
Incolere, & magno latus acclinare *Maroni*;
Conſortem *Teiuſque* ſenex, *Venuſinaque Flacci*
Siren, *Smyrnæuſque* Pater depoſcit *Homerus*:
Sic & in *Elyſiâ* diſcumbunt valle Poetæ,
*Ambroſiam*que comam immortali fronde revincti,
Fælices jungunt dextras, & carmina dicunt.

Tu quoque dum ſeri per ſæcula longa *Britanni*,

Annua *Sheldono* celebrant hæc ſacra *Theatro*,
Gibbeſi noſtris dabis argumenta Camænis;
Idem ingens Exemplar eris, ſic inclyte famam
Quam dederas, ſemper referet Tibi grata Juventus.
Interea Auſpiciis fælix *Academia* tantis
Surgit, & æternas ſpondent hæc omina Muſas.

Recitavit in *Encæniis Philologicis Theatri Sheldoniani*

R. Bathurſt M. D. Coll. Trin. Præſ. 1676.

ERRATA.

PAG. 5. annus, *l.* annuus. *p.* 27. apilli, *l.* capilli. *p.* 34. cutum *l.* cutem. *p.* 43. ſuceſſus, *l.* feceſſus. *p.* 52. ſæeves, *l.* ſerves. *id.* iuter, *l.* inter. *p.* 68. manet, *l.* manent. *p.* 69. paſſim, *l.* paſſim. *p.* 90. affuevit, *l.* aſſuevit. *p.* 91. *l.* 92. *p.* 141. ſanguinas. *l.* ſanguinis. *p.* 206. Inclement, *l.* Inclementia. *p.* 226. æras, *l.* ætas *p.* 263. poculas, *l.* pocula. *p.* 285. ceſſit, *l.* ceſſit. *p.* 289. Bollæus, *l.* Boiſæus. *p.* 297. ſortire, *l.* ſortite. *p.* 311. Iris, *l.* Dis.

FINIS.